
M. ANTONII MVRETI

VARIARVM LECTIONVM LIBRI VIII.

AD HIPPOLYTVM ESTENSEM,
Cardinalem, ac Principem illustrissimum.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS,
EX OFFICINA IORDANI ZILLETI,
M D LIX.

WiMBP
Opole
491 st.

M. ANTONII MVRETI IN LIBROS VARIARVM LECTIONVM PRAEFATIO, AD HIPPOLYTVM ESTENSEM, CARDINALEM AC PRINCIPEM ILLVSTRISSIMVM, *SINGVLAREM OMNIVM* HONESTARVM ARTIVM PATRONVM.

MAGNOPERE peccare mihi uiderer HIPPOLYTE, Cardinalis illustrisime, si ocium illud, quod & plurimum & honestissimum tua mihi benignitate conceditur, alia ulla re, quàm litterarum, & earum artium, quibus te insigniter oblectari uideo, assidua tractatione consumerem. nã cum ea te præcipue caussa commouerit, ut aditum mihi ad familiaritatem tuam ultro patefaciendum putaris, quòd ad te de mea erga illas incredibili uoluntate, meis fortasse scriptis, & amicis de me summorum hominum concitata sermonibus fama peruenerat: quis me ferendum putet, nisi quam de me opinionem incognito adhuc & absente conceperas, eam præsens ipse omni studio, omniq; corporis & animi contentione confirmem? Ita igitur facio. quarum artium singularis pulchritudo mentem meam, usque à puero, admirabili quodam sui desiderio incenderat, eas

K-173/68

nunc demum beneficio tuo aliis omnibus curis so lutus, magno & alacri animo persequor: neque sa ne committo, ut qui me tibi tanquam hominem & non ineruditum, & eruditionis ac doctrinæ si tientissimum commendarunt, cum in illo priore indulserint amori erga me suo, in hoc etiam alte ro eidem obsecuti, ac non potius id quod explo ratum haberent, uere apud te testati esse uidean tur. quod cum facio, primum, quo nihil dulcius est, nihil optabilius, naturæ meæ propensionem sequor. Vere enim hoc tibi affirmare possum. si quis mihi deus omnes opes, omnia commoda, om nem potentiam proponat, ea lege ac conditione, ut semel deponam hæc studia, & has qualescun que litterulas, altrices adolescentiæ meæ, fidissi mas meorum omnium temporum comites dese ram: nunquam id faciam: neque quicquam tanti esse ducam, quod mereri uelim, ut à suauissimo earum amplexu & contubernio abducar. quare, ut dixi, cum in eas toto pectore incumbo, naturæ meæ pareo: idq; facio, quod si facere uetarer, ui talem mihi esse uitam non putarem. deinde, quo mihi nihil prius ac potius neque est, neque esse debet, uoluntati tuæ morem gero. sæpe enim mi hi, quæ tua est humanitas, affirmasti, nullum tibi à me genus obsequii præstari posse iucundius, quàm, si omne tempus arbitratu meo ponerem in litteris, & aliquid assidue, quantum in me esset, excuderem, quod & mihi ornamento, & aliis u sui, & tibi oblectationi esse posset. neque uero me, ut id faciam, oratione tantum cohortaris, ue rum etiam exemplo. Quid enim facere nos opor tet,

tet, quicunque tuis opibus non aliam ob caussam fouemur, sustentamur, ornamur, quàm ut in his studiis omni cogitatione defixa, dies noctesq; exerceamur: cum te, te inquam ipsum, quem mo deratrix humanarum rerum prouidentia in altissi mo dignitatis gradu collocatum, perpetua grauis simorum munerum procuratione districtum tene ri uoluit, inter tot, tam graues, tam multiplices curas, tantopere ad tranquillitatem & salutem pu blicam pertinentes, quotidie tamen aliquid tem poris harum artium tractationi tribuere uidea mus? Nimirum & unusquisque nostrum naturæ suæ, ut ait poeta quidã, semina sequitur: & qui busscum diu ac familiariter uixit, eorum mores & instituta uiuendi facile ac libenter imitatur. Te uero cum omnis honestatis ac dignitatis amantis simum, omnium, quæ ad comparandam ueram ac solidam gloriam pertinent, appetentissimum na tura genuisset: consecuta deinde FRANCISCI VALESII, Galliarum Regis optimi, ac maximi, intima illa, qua tot annos usus es, consuetudo magis etiam incitauit ad easdem illas uias, in quas ipsa te natura deduxerat, animosius & constan tius persequendas. Ille homines eruditos ad se ex omnibus orbis terrarum partibus, amplissima eo rum industriæ præmia statuens, conuocabat. idẽ illud exemplum iamdudum Italia te, maxima cum tua laude, renouantem intuetur. Ad rega lem illius mensam non ullum acroama aut liben tius, aut sæpius, quàm uox alicuius eruditi homi nis, audiebatur. epulæ quoque tuæ quotidie nul la re magis, quàm grauissimis, & honestissimis uirorum

uirorum doctrina præstantium sermonibus, condiuntur. Ille igitur ad ceteras suas laudes eam addidit, qua nulla, meo quidem iudicio, maior est, nulla præclarior, ut communi omnium populorum consensu LITTERARVM PATER nominaretur. idem illud cognomen tibi apud posteros tributum iri, cuiuis perfacile est, qui tuam erga homines liberalium artium scientia excultos munificam, planeq; regiam uoluntatem cognouerit, augurari. Nos interea, qui per te hoc ocio fruimur, omnem industriam eò conferre oportet, ut quacunque ratione possumus, heroicas ac prope diuinas uirtutes tuas omni genere monimentorum ad immortalem posteritatis memoriam cõsecremus. non quòd rerum à te gestarum gloria nostro testimonio indigeat: sed quòd alia nobis uia nulla relinquitur, qua ingrati animi notam effugere ualeamus. Igitur alii quidem, quibus maior doctrinæ copia est, alia tibi grauiora, & maioris operæ inscribent. ego autem, qui nondum eam facultatem consecutus sum, ut à me quicquam egregium expectari debeat, scribam tamen, qualiacunque potero, & hisce paruis ac tenuibus munusculis testabor hominibus magnitudinem obseruantiæ erga te meæ. Illud quidem certe omni ope conabor efficere, ut scripta mea, si nullã aliã ob caussam in precio sint, utilitate tamen tueãtur ipsa se, & hoc saltẽ nomine à studiosis hominibus non negligantur. quod & alias feci, & in iis maxime, quos nuper apud te scripsi, Variarum lectionum libris. Primum enim cum in præstantissimis utriusque linguæ scriptoribus multa, uel temporum uel hominum culpa, corrupte & deprauate legantur: eaq; res uel non animaduersa errorem, uel animaduersa molestiam, & difficultatem legentibus obiicere soleat: eius incommodi ut pars aliqua per me tolleretur, operam dedi. deinde, cum & illud constet, ueteres latinos summo studio esse in Græcorum imitatione uersatos, & eorum locorum quos illi ab his acceptos in usum suum transtulerunt, diligens, & acurata notatio magnam his temporibus utilitatem habere credatur: huius quoque generis inspergenda non nulla esse duxi. narratiunculas etiam aliquot admiscui quarundam historiarum, quæ neque contritæ ac communes essent, neque fore iniucundæ cognitu uiderentur. Vbi autem ita res tulit, ut ab iis, qui uel ætate nostra, uel etiam superioribus temporibus in hoc ipso curriculo industriam suam exercuerant, dissentirem: feci id, ut & natura & consuetudo mea fert, libere: sed ea tamen moderatione seruata, ut, imminutam esse à me dignitatem suam, nemo conqueri possit, nisi qui tantum sibi tribuat, ut errare se posse non putet. quod neque cuiquam unquam contigit, & maius est, quàm ut conuenire in humanam fragilitatem queat. sed nos quid fecerimus, ipsa res indicabit. testatum quidẽ omnibus esse uolumus, nihil aliud nobis propositum fuisse, quàm ut sine cuiusquam offensione, auxilii aliquid attulisse huic studiorũ generi diceremur. A te autem, HIPPOLYTE Principum decus, etiam atque etiam petimus, ut qua nos humanitate in familiarium tuorum numerum recipere dignatus es, eadem hos labores nostros,

ſtros, qui nulla re magis, quàm tui nominis auctoritate, nixi, in publicum prodeunt, tibi accipiendos putes: neque tam, quid amplitudini tuæ conueniat, quàm, quid præſtari à nobis poſſit, expendas. nam & hæc ipſa nouis indies acceſsionibus creſcent, & alia ſuo tempore, quæ tibi gratiora fore confidimus, proferentur.

M. ANTONII MVRETI
AD HIPPOLYTVM ESTENSEM S. R. E. CARDINALEM AMPLISSIMVM ET ILLVSTRISSIMVM,
VARIARVM LECTIONVM LIBER PRIMVS.

Tres Iſocrates. Cuius ſit παραίνεσις ad Demonicum, indicatum. Cap. 1.

ELEGANS in primis, & cum ſaluberrimis referta præceptis, tum omnibus condita dicendi feſtiuitatibus oratio, quæ parænefis ad Demonicum inſcribitur, non eius ſcriptoris eſt, cuius uulgo putatur. nam cum ab Iſocrate illo, qui Socratis & Platonis æqualis fuit, cuiusq; domus officina eloquentiæ habita eſt, fluxiſſe, eiusq; ingenio elaborata eſſe credatur, id ſecus eſt: quodq; etiam in aliis cõtigiſſe ſcimus: errorem hic obiecit hominibus nominum ſimilitudo. tres enim facundi ac diſerti fuere homines, quibus omnibus idem Iſocratis nomen fuit. Vnus is, quẽ modo diximus: qui à Socrate commendatur in Phædro: quemq; Cicero, diſſentiente Bruto, tantopere laudabat. alter, huius diſcipulus: cuius apud Suidam mentio eſt. neutrius autem horum eſt ea, de qua loquimur, oratio: ſed tertii cuiuſdam Iſocratis, qui Ciceronis temporibus floruit. Id ita eſſe, didici ex Dionyſio Halicarnaſſeo, qui in aureolo libello de arte rhetorica, quẽdam ex ea citans locum, Iſocratem ipſius auctorem, ſuum, & Echecratis, ad quem ſcribit, ſodalem uocat. eius uerba ſunt. Ισοκράτης μὲν ὁ σὸς ἑταῖρος καὶ ἐμὸς, ὦ Ἐχέκρατες, εἴπερ ἄλλο τι, φησὶ χρῆναι προσεῖναι τοῖς ἀπαιδεύτοις ἀνθρώποις, ἐν τῇ παραινέσει τῇ πρὸς τὸν Ἱππονίκου, (ita enim legendum eſt, non, ut in uulgatis libris, πρὸς τὸν Ἱππόνικον) καὶ τὴν φιλοφροσυνηγορίαν, ὅπερ ἐστὶ τὸ προσφωνεῖν τὰς

ἁπαντῶντας, ὡς αὐτός φησι. Locus autem, quem indicauit Dionysius, ita apud Isocratem legitur. Τῷ μὲν τρόπῳ γίγνε φιλοπροσήγορος, τῷ δὲ λόγῳ δ' προσήγορος. ἔστι δὲ φιλοπροσηγορίας μὲν τὸ προσφωνεῖν τὰς ἁπαντῶντας, δ' προσηγορίας δὲ τὸ τοῖς λόγοις αὐτοῖς οἰκείως ἐντυγχάνειν. Harpocration tamen, qui sit ἐπακτὸς ὅρκος, exponens, Isocratem Apolloniaten eius, de quo agimus, libelli auctorem facit. at is ueteris illius Isocratis auditor fuit: ut apud Suidam est. sed magis me ea, quæ supra recitaui, uerba Dionysii mouent.

Mithridatem cur Dionysum Tralliani honoris caussa uocarent. Illustratus locus ex oratione pro Flacco. Eius qui Plutarchi συμποσιακὰ interpretatus est, notatus error. Cap. II.

M. TVLLIVS in oratione pro L. Flacco cum percenseret eas laudes, quas Tralliani in Mithridatem, regem populo R. infestissimum, congesserant, ita scribit. Mithrida
„ tem deum, illum patrem, illum conseruatorem Asiæ, il-
„ lum Dionysium, Bacchum, Liberum nominabant. atque hoc Petrus Victorius admonuit dictum esse ad Demosthenis imitationem, cuius illa sunt ex oratione de corona. οἱ μὲν κατάπυροι Θεσσαλοὶ, καὶ ἀναίδητοι Θηβαῖοι φίλον, δ' ἐργέτην, σωτῆρα τὸν Φίλιππον ἡγοῦντο. πάντ' ἐκεῖνος ἦν αὐτοῖς. protulit etiam locum ex Athenæo, quo confirmatur, Mithridatem uiuũ ac uidentem, diuinis affectum honoribus. sed cur Liberi patris potius, quàm cuiusquam alii dei nomine honestaretur ille rex, quando de eo sibi non liquere subobscure indicauit Victorius, ego aperire constitui. Duæ autem eius appellationis caussæ à Plutarcho libro primo συμποσιακῶν afferuntur. una, quòd Mithridates præmium proposuerit, qui plurimum edisset, quiq; plurimum bibisset: ipseq; in utroque certamine palmam tulerit: utpote qui omnes ætatis suæ homines bibendo superaret. ob id igitur Dionysum uocatum. sed eam caussam Plutarchus ipse, ut inanem, cõmenticiamq;, & minus idoneam reprobat. ac plane,

ne, si hæc uera esset, uideri poterant Tralliani, cum Mithridatem Dionysum salutarent, non tam ei honorem tribuere, quàm contumeliam facere: quasi ebriosum eum & helluonem ac gurgitem uocarent. quare hæc altera caussa putanda est uerior. bis eum fulmine appetitum fuisse: ita ut innocuus incolumisq; remanserit. nam cum adhuc infantulus in cunis uagiret, collapsum fulmen, fascias, quibus inuolutus erat, exusit, neque tamen ipsum læsit. uestigium modo quoddam ignis in fronte relictum est: quod facile occultaret coma. rursus cum iam uir esset, ita propinquum ei dormienti cecidit, ut tela in pharetram, quæ haud procul à lecto pendebat, condita conflagrauerint. ipse tum quoque intactus. iis expositis, addit Plutarchus. Οἱ μὲν οὖν μάντεις ἀπεφήναντο, πλεῖον αὐτὸν ἰσχύσειν ἀπὸ τῆς τοξικῆς καὶ κάφης στρατιᾶς. οἱ δὲ πολλοὶ Διόνυσον αὐτὸν, ἀπὸ τῶν κεραυνοβολιῶν, ὁμοιότητι τῶ παθους προσηγόρευσαν. id est. Igitur uates quidem pronunciarunt, plurimum ipsum sagittariis, & leui armatura esse ualiturum. uulgus autem ei Dionyso nomen fecit, ab illis fulminum iactibus: quòd ei simile quiddam, atque Dionyso, contigisset. Hanc postremam partem quidam, qui librum illum Plutarchi Latinum facere studuit, ita reddidit. Quam ob caussam uates plurimum sagittariorum manu, leuisq; armaturæ copiis præstiturum prædixerant. Quanquam non desunt, qui Bacchi nomen à morbo sideratis ac de cælo tactis familiare datum illi existiment. quæ interpretatio ita est absurda & aliena, ut ualde mirer, quid tum illi homini in mentem uenerit.

Locus quidam Ciceronis in Verrem uindicatus à praua aliorum correctione. Plinii alter declaratus. Cap. III.

VTVNTVR interdum latini scriptores Græcis quibusdam uocibus, easq; latinis tamen litteris notant: quod qui nõ animaduertunt, facile in errorem incidunt: præcipue cum eæ uoces eiusmodi sunt, ut etiam Romanæ uideri queant id quod accidit homini in primis erudito explicanti ora-

tiones Ciceronis in Verrem. Nam cum Cicero impurum illum hominem ætate summa, quo tempore ceteri prætores obire prouinciam, & concursare consueuerant, totum se ad nequitiam & ad libidinem contulisse diceret, & tabernacula carbaseis intenta uelis in littore collocari iussisse, ubi totos dies cum impudicis mulieribus perpotaret: haud ita multis interiectis uerbis, ita postea locutus
» est. Illo autem tempore iste, tametsi ea est hominis impu
» dentia, quam nostis, ipse tamen, cum uir esset Syracusis,
» uxorem eius parum poterat animo soluto ac libero tot
» in acta dies secum habere. quorum uerborum ille, quisquis est, sensum non uidere se dixit: nisi pro, in acta, legatur, in lecto. neque intellexit, Ciceronem, quod antea Romano more littus dixerat, id postea actam uoce Græca, ut uidelicet in Sicilia loquerentur, nominasse. notum est autem, Siculos eo quondam sermone usos, qui è Græcis, latinisq; uocibus permistus esset. Actam uero solitos eos dicere pro littore, etiam Virgilius indicio est, qui illud ipsum littus eo nomine uocauit.

At procul in sola secretæ Troades acta
Amissum Anchisen flebant.

Ita igitur actam uterque, ut Terentius, & Cicero ipse urbem Athenienſium, Astu. Neque dissimili modo C. Plinius libro VII. naturalis historiæ probata pro pecudibus
» dixit. eius uerba sunt. In eadem Africa familias quasdam
» effascinantium Isigonus & Nymphodorus tradunt: quarum laudatione intereant probata, arescant arbores, emo
» riantur infantes. non enim quæ familiæ illæ probassent, ea interire affirmauit, sed ut dixi, τὰ πρόβατα.

Horatii locus ex Euripide expressus. Cap. IIII.

QVOD Horatius lib. primo epistolarum pereleganter scripsit, esse uerba & uoces quasdam, quibus animi morbos lenire ac mitigare fas esset, respexisse ipsum arbitror ad locum quendam Euripidis ex Hippolyto coronato, ubi nutrix Phædrã insano priuigni amore incensam alloquens, admonet

admonet eam, ut morbum illum suum fortiter ferat: esse enim cantus & sermones quosdam, in quibus insit uis ad eum mulcendum ac molliendum. Versus Euripidis hi sunt.

Νοσοῦσα δ' ὅπως τὴν νόσον καταστρέφῃ.
Εἰσὶν δ' ἐπῳδαὶ, καὶ λόγοι θελκτήριοι.
Φανήσεταί τι τῆσδε φάρμακον νόσου.

Horatii autem hi.

Feruet auaritia, miseroq; cupidine pectus?
Sunt uerba, & uoces, quibus hunc lenire dolorem
Possis, & magnam morbi deponere partem.

non tamen uterque idem intellexit. nam illa de magicis carminibus: hic de sermonibus philosophicis loquitur, à quibus uera omnium morborum animi petenda medicina est. quanquam si quis Euripidem quoque idem κατ' ἀλληγορίαν τινὰ significare uoluisse censeat, libenter me socium ipsius sententiæ ascripserim. Gaudet enim poeta ille eiusmodi sententiis, quæ neque à populari consuetudine discedant, & philosophicum tamen intra se aliquid occultent. nam quod in uersibus Horatii lego, miseroq; cupidine, non, ut in plerisque libris legitur, miseraq; cupidine, in eo ueteres libros auctores habeo, ac præterea, esse id ex Horatii consuetudine, nullo negocio probare possum. ita enim alibi.

At bona pars hominum decepta cupidine falso,
Nil satis est, inquit. & in odis:
Nec leues somnos timor, aut cupido
Sordidus aufert.

ut dubitari plane non possit, quin ea uera scriptura sit.

Eiusdem Horatii locus ex Isocrate prope conuersus. Cap. V.

VENIT mihi in mentem quorundam eiusdem poetæ uersuum è sermonibus, quibus exponit, quæ primis temporibus uita hominum fuerit, agrestis uidelicet, & ferina: utq; post, rationis & orationis beneficio, ad ciuiliorem uiuen-

uiuendi modum, & humanæ naturæ magis conſentaneum uenerint: qui quidem uerſus tantam habent cum Iſocratea quadam eiuſdem rei narratione ſimilitudinem & conuenientiam, ut eam poeta non modo imitatus, ſed prope interpretatus eſſe uideatur. qua de re ut cuiuis utriuſque linguæ intelligenti exiſtimare liceat, utriuſque uerba ſubiiciam. His igitur uerſibus eam latinus uates ſententiam eſt executus.

Cum prorepſerunt primis animalia terris,
Mutũ & turpe pecus, glandem atque cubilia propter,
Vnguibus & pugnis, dein fuſtibus, atque ita porro
Pugnabant armis, quæ poſt fabricauerat uſus.
Donec uerba, quibus uoces ſenſuſq́; notarent,
Nominaq́; inuenere. dehinc abſiſtere bello,
Oppida cœperunt munire, & ponere leges.

Iſocrates autem ita Nicoclem loquentem facit. Ἐγγενομένης δὲ ἡμῖν τῆς πείθειν ἀλλήλους, καὶ δηλῶν πρὸς ἡμᾶς αὐτὸς περὶ ὧν ἀνβουλευσώμεθα, ἐ μόνον τῆς θηριωδῶς ζῆν ἀπηλλάγημεν. ἀλλὰ καὶ συνελθόντες πόλεις ᾠκίσαμεν, καὶ νόμους ἐθέμεθα, & quæ ſequuntur.

Ciceronis locus ex oratione pro P. Quinctio pulchre à Paulo Manutio correctus. Cap. VI.

Quod ſi facere nolit, atque inhibuerit eiuſmodi rationibus illum ad ſuas conditiones perducere: ſeſe nihil precari, &, ſi quid agere uelit, iudicio defendere. Ita leguntur Ciceronis uerba hæc ex oratione pro P. Quinctio in omnibus impreſsis libris, præterquam in Manutianis. quæ cum corrupta eſſe conſtaret, fuerunt, qui pro, inhibuerit, reponerent, inſtituerit. At præclare, ut ſolet, Manutius: de quo uiro merito dubitari poteſt, plus ne ipſe Ciceroni, an ipſi Cicero debeat. Nam & ipſe tractandis aſſidue Ciceronis ſcriptis eam aſſecutus eſt eloquentiæ laudem, qua uincit omnes: & cum ad ingenium, quo excellit, addidiſſet eam diligentiam, eamq́; laborum perpeſ-

ſionem

ſionem ac tolerantiam, qua uires, ipſamq́; adeo ualetudinem ſuam, magno noſtro omnium, quotquot eum, quia plane nouimus, plurimi etiam facimus, dolore proſtrauit; incredibile eſt, quot ab errorum millibus eos libros feliciſsime uindicarit. at ætas noſtra mirificam quandam extulit uim hominum improborum, qui magnam laudem in obtrectatione poſitam putant, neque quicquam cupidius faciunt, quàm ut quicquid poſſunt, quacunque ratione poſſunt, ex aliena gloria deterant, creduntq́; ita ſe demum emerſuros, ſi eos, qui extant, depreſſerint. quam rationem graſſandi ad famam nemo unquam ſapiens approbauit. ſed me amoris quidam æſtus ab eo, de quo dicere cœperam, abduxit. omnino autem, cum de Paulo Manutio loquendum eſt, moderari orationi meæ neque uolo, neque poſſum, neque debeo. alii complures rationem inire poterunt, quot ipſi locos in Cicerone correxerint: illi aut uni, aut cum pauciſsimis, licet dicere,

Pauperis eſt numerare pecus.

in illius igitur libris (tandem enim ad propoſitum me referam tamen) is, de quo agebam, locus ita legitur. Quod „ ſi facere nolit, atque imbiberit eiuſmodi rationibus illum „ ad ſuas conditiones perducere, & cetera. præclare, ut dixi. Imbiberit enim eſt, hoc ſibi plane propoſuerit, hoc ita in mente ac cogitatione ſua defixerit, ut euelli non queat. eſt autem ita ſcriptum omnibus litteris, in longe plurimis uetuſtis codicibus. ſed inſolentia locutionis fefellerat alios, quæ Manutium non fugit. meminerat enim ita locutum Lucretium libro ſexto,

non quòd uiolari ſumma deum uis

Poſsit, ut ex ira pœnas petere imbibat acres.

ut ergo à Lucretio dictum eſt, imbibat petere, ſic à M. Tullio, qui eum poetam ſtudioſiſsime legerat, imbiberit perducere.

Epitheton,

Epitheton, quo Corinthum ornauit Horatius, è Græca uoce expreſſum uideri. Cap. VII.

BIMAREM Corinthum cum diceret Horatius, non dubito, quin exprimere uoluerit Græcam uocem, ἀμφιθάλασσος. eſt autem ea uox non admodum frequens, proba tamen & antiqua: uſuſq; ea eſt Xenophon, cum urbis Atheniensis commoditates celebraret, docereteq;, eam opportuno admodum loco ſitam ad importãda & exportanda quæ opus foret. ita enim loquitur. Καὶ μὴν ἐ περίῤῥυτός γε ἔσα, ὅμως ὥσπερ νῆσος πᾶσιν ἀνέμοις προσάγεταί τε ὧν δεῖται, καὶ ἀποπέμπεται ἃ βούλεται. ἀμφιθάλασσος γάρ ἐςι. Hoc eo annotare uiſum eſt, quoniam in ſcholiis Horatianis, quæ, abhinc annos quatuor, ad Io. Auanſonium V. C. qui tum Romæ Gallorum regis legatus erat, miſeram, cum, ceterarum urbium epitheta unde ſumpta eſſent, indicaſſem: neſcio quo modo contigit, ut hoc, quod minime decuerat, prætermitteretur.

Horatii locus, qui multis in libris corrupte legitur, explicatus. Cap. VIII.

VERSVS hi ſunt è ſecundo odarum Horatii:

Viuet extento Proculeius æuo,
Notus in fratres animi paterni.
Illum aget penna metuente ſolui
Fama ſuperſtes.

quorum qui proxime ultimum antecedit, ita in multis libris legitur:

Illum aget penna haud metuente ſolui.

conſtat autem, ita correctum eſſe ab aliquo, qui ſententiam quidem uideret, ſed uim uerborum non ſatis perſpiceret: putaretq; ita melius æternitatem famæ ſignificatũ iri, ſi particula illa negandi uim habens adderetur. alioqui fore, ut parum firmitatis ineſſet ea in fama, cuius pennæ ſolutionem metuere dicerentur. firmitas enim fiduciam, infirmitas metum parit. at ille, quiſquis fuit, inani & friuolo

& friuolo argumento deluſus eſt. nam, quia quæ metuimus, refugimus, longiſsimeq; nos ab iis abducimus, factum, ut Horatius pennam metuentem ſolui dixerit eam, quæ ſemper longiſsime ab omni ſolutione abfutura eſſet. eſt autem ſimile illud Virgilii,

Arctos Oceani metuentes æquore tingi.

nam ut metuentes tingi dixit is, quæ nunquam tingerentur: ita hic pennam metuentem ſolui, quæ nunquam ſolueretur. Hoc eo libentius annotaui, quòd ut alia multa, ita hoc quoque mendum in eos libros, quibus addita ſunt mea ſcholia, operarum negligentia, me abſente atque inſcio, irrepſerat.

Sententia quædam Terentiana ab Aeſchylo etiam prolata oſtenditur: &, qui eandem continet, Græcus incerti ſcriptoris uerſiculus indicatur. Cap. IX.

QVOD apud Terentium adoleſcens amore ſaucius dixit,

Facile omnes cũ ualemus, recta cõſilia ægrotis damus:

eius non diſsimile quiddam Prometheum dicentem fecerat Aeſchylus. cum enim miſerum illum & ærumnoſum deum nymphæ Oceanitides reprehenderent, quòd peccaſſet: ita eum reſpondentem induxit: facile eſſe iis, qui malis ſoluti ſunt, admonere ac corripere eos, qui aduerſis rebus premuntur. Verſus Aeſchyli, ſi quis eos requirit, hi ſunt.

Ελαφρὸν, ὅς τις πυμάτων ἔξω πόδα
Ἔχει παραινεῖν, νουθετεῖν τε τὰς κακῶς
Πράσσοντας. id eſt.

Haud difficile eſt, pars nulla' quem attingit mali,
Monere eos, ac corripere, qui miſeriis
Vrgentur.

tale igitur aliquid eo loco dixerat & Menander. ſed & hũc uerſum alicubi legere memini.

Τγιὴς νοσοῦντα ῥᾴδια πᾶς τις νουθετεῖ.

Equitandi uerbum quòd Euro tribuit Horatius, Euripidem quoque eodem modo locutum esse. Cap. x.

AVDACI sane metaphora usus uidetur Horatius, cum Euro uento equitandi uerbum tribuit. notus est enim ille uersiculus,

Per Siculas equitauit undas.

neque unquam id, ut opinor, sine ueterum exemplo ausus esset. sed meminerat, Euripidem quoque eodem modo locutum esse de Zephyro. itaque fecit more suo, ut, persequendis Græcorum uestigiis, τὸ τῆς λέξεως καινόντε καὶ ξενικὸν quæreret, seq; quamlongissime à trita & plebeia loquendi consuetudine abduceret. quo in genere plane singularis fuit: neque, meo quidem iudicio, Græcas loquendi formas latinorum poetarum quisquam uel frequẽtius, uel fidentius, uel felicius imitatus est. Locus autem ille Euripidis, quem dico, ita scriptus est in Phœnissis.

Ζεφύρῳ πνοαῖς ἱππάσαντος ἐν ἀραιῷ.

Currum pro naui, ut à Catullo, sic & à Græcis poetis dictum esse. Cap. xi.

ETIAM illud Græcorum exemplo fecit Catullus, ut nauim currũ uocaret, in libello de nuptiis Pelei & Thetidos.

Diua quibus retinens in summis urbibus arces,
Ipsa leui fecit uolitantem flamine currum.

siquidem apud Aeschylum Prometheus in illa longa enumeratione artium, quas à se in usum mortalium excogitatas & inuentas gloriatur, ait repertum suum esse currus illos nautarum, qui lineis alis uagentur per mare.

Θαλασσόπλαγκτα δ' ὅστις ἄλλος ἀντ' ἐμοῦ
Λινόπτερ' εὗρε ναυτίλων ὀχήματα.

Sed & Euripidem eadem figura usum memini. apud quem nuncius, qui Medeam admonet, ut se mandet fugæ, præcipit ei, ut neque id uehiculum spernat, quod nauigandi, neque

neque id, quod terrestris itineris conficiendi caussa comparatum est.

Ὦ δεινὸν ἔργον παρανόμως εἰργασμένη
Μήδεια, φεῦγε, φεῦγε, μήτε ναΐ' αν
Λιποῦσ' ἀπήνην, μήτ' ὄχον πεδοσιβῆ.

Libidinosarum mulierum, quæ calumniatæ sunt eos, à quibus spretæ ac repudiatæ erant, exempla octo. Cap. xii.

EXEMPLA octo memini legere, earum mulierum, quæ uiros à se impudice appetitos, cum eos ad restinguendum libidinis suæ ardorem flectere nequiuissent, calumniatæ sunt postea, tanquam ab ipsis tentatæ forent: eisq; partim crearunt ingens periculum, partim etiam exitium attulerunt. eorum unum est in sacra historia, de Iosippo Iacobi filio, qui, cum obtemperare heræ suæ, Phutipharis uxori, noluisset: structis ab ea calumniis in uitæ discrimen adductus est. atque hoc, ut quod omnibus notum sit, nihil est necesse pluribus uerbis exponere. Hippolytum quoque Thesei filium ut Phædra nouerca tentarit: seq; ab eo spretam uidens, reuerso ab inferis marito persuaserit, eum sibi uim afferre uoluisse, (quanquam paulo aliter est apud Euripidem) utq; castissimus adolescens crudelissime ob eam rem discerptus dilaniatusq; sit, & lippis, ut ait Horatius, & tonsoribus notũ est. Sed & Tenni Cycni filio, Neptuni nepoti idem contigisse memoratur. eius enim ephebi iam, &, ut Græci dicunt, ἀνδρόπαυδος desiderio tacta nouerca Phylonome, seu, ut alii uocant, Peribœa, sermonem cum eo de stupro contulit. Reiecta & repudiata, insimulauit eum apud patrem, eodem plane modo, quo Hippolytum Phædra. Credulus parens inclusum in capsam quandam filium proiecit in mare. tulit opem Neptunus innocenti nepoti. delataq; est capsa ad insulam Leucophryn: quam cum incolæ aperuissent, remq; cognossent: non tantum Tenni regnum detulerunt: sed etiã de nomine ipsius, insulam Tenedon nominarunt. quin &

mortuũ coluerunt pro deo. Eodem modo prope perditus est Bellerophon ab Antæa Prœti uxore: & Peleus ab Hippolyte uxore Acasti. de quibus apud Horatium sunt illa.

Vt Prœtum mulier perfida credulum
Falsis impulerit criminibus, nimis
Casto Bellerophonti
Maturare necem, refert.
Narrat pene datum Pelea tartaro,
Magnessam Hippolyten dum fugit abstinens.

Nos autem utranque siue historiam siue fabulam alibi copiosissime exposuimus. Hippodamia quoque cum eam aueheret Pelops, siti aliquando correpta esse dicitur. cũq; Pelops, quærendæ aquæ caussa descendisset è curru, iamq; longius abiisset, (magnæ enim circum solitudines erant) illa Myrtilum aurigam, cum quo sola remanserat, solicitare cœpit, ut secum rem haberet. uolebat uidelicet, interea dum reuerteretur Pelops, aliam quandam sitim restinguere. sed cum Myrtilus morem gerere noluisset: accusatus est apud reuersum Pelopem, quòd ipsam uiolare conatus esset: ob idq; proiectus in uicinum mare: quod ex eo Myrtoum usurpari cœpit. Philostratus libro sexto de uita Apollonii, Timasionem quendam Aegyptium à nouerca frustra adamatum, deinde illius calumniis solum uerte re coactum esse narrat. etsi illa quidem alio quodam modo, quàm ceteræ, priuignum calumniata est. Denique Fausta, Maximiani filia, Constantini Magni uxor, eodem modo ut Phædra, Crispum priuignum suum accusauit. itaque imperator optimus, sed hac quidem in re non satis consideratus, immerentem filium morte multauit. idemq; postea, re cognita, etiam de uxore supplicium sumpsit.

Falsam quandam historiam à Petro Victorio pro uera traditam esse. Cap. XIII.

Falsvm est, quod Victorius tradidit libro duodecimo Variarum lectionum, extitisse quendam capitalem importunumq; hominem Athenis, qui dixerit, se, dum regno Athenarum

Athenarum uno die potiri posset, nullum supplicii genus recusaturum: passurumq; æquo animo, ut acerbissimis cruciatibus postea afficeretur: omnisq; ipsius familia funditus periret. Nam quod putauit id Plutarchum in Solone dicere: declarauit exemplo suo, quamuis eruditos homines cæcutire & παροράν, ubi aliquid conniuentes legunt. Nihil enim tale Plutarchus, quale Victorius credidit. narrat, tantum, Solonem, cum delatam sibi à ciuibus suis tyrannidem maximo animo reiiceret, aspernaretur: à multis reprehensum esse, & parum sanæ mentis habitum. aiebant enim, eum, si saperet, accepturum fuisse tyrannida, uel propositis iis conditionibus, quas supra exposuimus. Ergo eos reprehensorum suorum sermones his uersibus trochaicis inclusit Solo.

Οὐκ ἔφυ Σόλων βαθύφρων, ἀδὲ ξυλείης ἀνὴρ.
Ἐθλὰ γὰρ θεῦ διδόντος, αὐτὸς οὐκ ἐδέξατο.
Περιβαλὼν δ' ἄγραν, ἀγαθεὶς οὐκ ἀνέσπασε μέγα
Δίκτυον, θυμῷ δ' ἁμαρτὼν, καὶ φρενῶν ἀποσφαλείς.
Ἢ θελε γὰρ κεν κρατήσας, πλᾶτον ἄφθονον λαβὼν,
Καὶ τυραννεύσας Ἀθηνῶν μῆνον ἡμέραν μίαν,
Αὖτὸς ὕστερον δεδάρθαι, κἀμπιτεσσέσθαι γένος.

Neque ego hæc indicarem, nisi uiderem, periculum esse, ne quis Victorii testimonio fretus, ne quærendum quidem amplius putaret, uera essent, an minus.

Aristotelem in Hippodamo reprehendendo parum bona fide uersatum esse. Cap. XIIII.

Videtvr Aristoteles interdum non satis bona fide retulisse eorum sententias, quos redarguere ac reprehendere statuisset. cuius rei libet nunc exemplum proferre unum, ex quo de multis similibus coniectura fieri possit. Etenim libro secundo πολιτικῶν, ubi exagitat eam reip. formam, quæ ab Hippodamo Milesio descripta erat: ait ciuitatem ab eo distributam esse in tres partes: nempe in artifices, in agricolas, & in milites. Κατεσκεύαζε δὲ, inquit, τὴν πόλιν τῷ πλήθει μὲν μυρίανδρον, εἰς τρία δὲ μέρη διηρημένην. ἐποίει γὰρ ἓν μὲν μέρος,

μέρος, τεχνίτας: ἓν δὲ, γεωργὰς, τρίτον δὲ τὸ προπολεμοῦν, καὶ τὸ ὅπλα ἔχον. quod si uerum esset, insciente sane, & imperite se gessisset Hippodamus, qui ciuitatem sine consilio, tanquam corpus sine animo, esse uoluisset. at uero non ita in consultus fuerat. extant enim magna ex parte leges ipsius, quæ Aristotelis, hac quidem in re, singularem quandam improbitatem manifesto patefaciant. Descripserat autem ille ciuitatem tres in partes, quarum primam fecerat, eorum qui consilio remp. gubernarent: alteram eorum, qui eandem armis defenderent: tertiam ex iis consti tuerat, qui artes necessarias exercerent. atque in hanc po stremam, & opifices, & agricolas, & mercatores incluserat. Id adeo prolatis ipsius uerbis intelligetur. Φαμὶ δ' ἐγὼ εἰς μόιρας τρεῖς διεσᾶδαι τὰν σύμπασαν πολιτείαν, καὶ μίαν μὲν εἶναι μοῖραν τῶν ἀγαθῶν, κυβερνώντων τὰ κοινά. δευτέραν δὲ τῶν, δυνάμει, τρίταν δὲ, τῶν ἐκπλαρώσει καὶ χορηγίᾳ τῶν ἀναγκαίων. ὀνομάνω δὲ τὸ μὲν πρῶτον πλᾶδος, βουλευτικόν. τὸ δὲ δεύτερον, ἐπίκουρον. τὸ δὲ τρίτον, βάναυσον. & aliquanto post. Τῶ δὲ βαναύσω καὶ βιοπονατικῶ, τὸ μέν ἐστι γεώπονον, καὶ περὶ τὰν κατεργασίαν τᾶς χώρας καταχολάμενον. τὸ δὲ τεχνασικὸν, ὄργανα καὶ ἐπιμαχανήματα τοῖς τῶ βίω πραγμασιν ἐκποριζόμενον. τὸ δὲ μεταβατικὸν καὶ ἐμπορικὸν, ὃ τὰ μὲν ἐν τᾷ πόλει περισιάζοντα, ἐπὶ τὰν ξένναν διάγεται· τὰ δὲ, ἀπὸ τᾶς ξένας ἐς τὰν πόλιν. Sed & cetera si quis attente consideret, uidebit, non tam mul ta in iis reprehendenda esse, quàm uidetur eis, qui, audi ta tantũ altera parte, pronunciant. sunt autem apud Stobæum ἐν τῷ περὶ πολιτείας.

Duræ compositionis duo insignia exempla: ex Euripide unum, alterum è Sophocle. Cap. xv.

INTER ea quæ duram atque insuauem orationis compositionem efficiunt, uix quicquam est, quod magis reprehendatur à dicendi magistris, quàm crebra & continuata eiusdem litteræ repetitio. Itaque in Virgilio, = casus Cassandra canebat: in Terentio, tantam, tam improuisam, & consilia consequi consimilia in Cicerone, statua tua stabat: &, inuisæ uisæ, & in Cœliana, unquam quanquã, eiusdemq;

demq; modi alia in aliis primæ classis auctoribus notantur. sed enim quæ duo eius rei exempla in duobus optimis ac præstantissimis poetis reperi, ea (ita insignia uisa sunt) hoc loco proponenda esse duxi. eorum unum Euripidis est: apud quem Medea cum Iasoni exprobraret, illum sua opera seruatum esse, ita loquitur:

Ἐσωσά σ', ὡς ἴσασιν Ἑλλήνων ὅσοι
Τῶνδ' ἐσωσισέβησαν Ἀργῶον σκάφος.

quorum uersuum in priore, crebra illa repetitio litteræ σ, locum etiam comicis iocis ac salibus dedit. siquidem Plato comicus, & Eubulus, eiusdem homo artificii, Euripidem ea de caussa urbanissime tetigisse traduntur. Alterum Sophoclis, & quidem ea in fabula, quæ quasi regnum possidere inter tragœdias dicitur. ibi enim Oedipus cum Tiresia iurgans, eiq; & aurium, & mentis, & oculorum cæcitatem obiiciens, hoc eum uersu indignabundus incessit:

Τυφλὸς τά τ' ὦτα, τόν τε νῶν, τά τ' ὄμματ' εἶ.

ubi cum sæpius etiam inculcauerit litteram τ, quàm ille alter litteram σ, tamen Euripides dicacium aculeos expertus est: Sophocles à nemine, quod sciam, notatus. Sophocleinon dissimilis est Ennianus ille, me puero, decantatus in scholis,

O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti.

Coniecturæ de aliquot locis è libello Demetrii περὶ ἑρμηνείας. Cap. xvi.

QVICVNQVE ille Demetrius fuit, cuius est libellus, qui nunc omnium manibus teritur, περὶ ἑρμηνείας, (non enim mihi facile quisquam persuaserit, Phalereum esse) utile profecto nobis, & minime triuialis doctrinæ plenum ingenii sui monimentum reliquit. neque uero paruum emolumentum Petrus Victorius studiosis attulisse cẽsendus est, cum olim ad eum librum purgandum incubuit: laborq; ipsius, ut semper alias, ita hic quoque admodum utilis, & fructu osus fuit. cuius summi uiri exemplo nos etiam incitati, longe quidem ac multum impari facultate, sed non dispari

diſpari uoluntate, eandem uiam ſequimur, & ueterum ſcripta, quantum in nobis eſt, obſcura illuſtrare, deprauata emendare conamur. Igitur quæ, cum eum librum attente diligenterq; legeremus, nobis & correctione aliqua indigere, & non ita difficile corrigi poſſe uiſa ſunt, eorum hic partem aliquam cum ſtudioſis communicabimus: ſi forte noſtra quoque induſtria tam polito ſcriptori opis aliquid afferri queat. Ipſum autem libri principium ſcio negocium exhibuiſſe multis. ita enim legitur. Ὥσπερ ἡ ποίησις διαιρεῖται τοῖς μέτροις, ὅιον ἡμιμέτροις, ἢ ἑξαμέτροις, ἢ τοῖς ἄλλοις· οὕτω καὶ τὴν ἑρμηνείαν τὴν λογικὴν διαιρεῖ καὶ διακρίνει τὰ καλούμενα κῶλα. ſed cum abſurdum ſit, pro metrorum exemplo ἡμίμετρα ponere, pro, ὅιον ἡμιμέτροις, legendum cenſeo, ὅιον ἢ διμέτροις.

Item, ubi loquitur de iis periodis, quæ habent ſpeciem aliquam ἀντιθέσεως, cum tamen ἀνθίθεσις in eis nulla ſit, exemplo quidem hoc Epicharmi utitur,

Τόκα μὲν ἐν τήνοις ἐγὼν ἦν, τόκα δὲ παρὰ τήνοις ἐγών.

deinde addit. τὸ αὐτὸ μὲν γὰρ εἴρηται, καὶ οὐδὲν ἐναντίον. ὁ δὲ τρόπος τῆς ἑρμηνείας μεμιγμένος, ἀνθίθεσίν τινα πλανῶντι ἔοικεν. quam ultimam partem ita lego. Ὁ δὲ τρόπος τῆς ἑρμηνείας μιμούμενος ἀντίθεσίν τινα, πλανῶντι ἔοικεν. Haud ita multo poſt, ubi de ſimiliter deſinentibus uerbis diſputatur, oſtenditurq; id ornamentum ad affectus exprimendos inutile eſſe: ubi legitur. Ποίαν γὰρ πόλιν τῶν ἐχθρῶν τοιαύτην ἔλαβον, ὁποίαν τὴν ἰδίαν ἀπέβαλον; pro ἔλαβον, libentius legerim, ἀπέλαβον. Vbi de magnifica oratione diſſeritur, cum dixiſſet ſcriptor ille, de Ariſtotelis ſententia, pæonicam orationem magnificam eſſe: pæona etiam duplicem eſſe docuit, unum προκαταρκτικὸν, qui quatuor ſyllabis conſtet, longa prima, ceteris breuibus: eiusq; exemplum ponit, ἤρξατο δὲ. alterum, qui ſuperiori illi ex altera parte reſpondeat, & à tribus exorſus breuibus, in longam deſinat. huius autem exemplum eſſe uult, τὰ ἀράβεια. quod quin corruptum ſit, dubitari non poteſt. legi autem debere arbitror, ταραβέα. Exemplum Antiphontis, quo docet, negligentia quadam interdum orationi dignitatem ac granditatem comparari, ita legendum uidetur. Ἦ γὰρ νῆσος ἦν ἐρχομένοις δήλη μὲν, καὶ πόρρωθεν μέν ἐστιν ὑψηλὴ, καὶ τραχεῖα

καὶ τὰ μὲν χρήσιμα καὶ ἐργάσιμα μικρὰ αὐτῆς ἐστὶ, τὰ δὲ ἀργὰ πολλὰ, σμικρᾶς αὐτῆς οὔσης. Paulo poſt autem, ubi agit περὶ παραπληρωματικῶν, notatq; non nullos qui eis intempeſtiue utebantur: ubi eſt, καὶ τῷ νυ, καὶ τῷ πότερον: lego, καὶ τῷ νυ, καὶ τῷ ποτὲ. Vnum ſi addidero, cetera in aliud tempus reiiciam. ubi enim eos ipſos, quos modo dixi, comparat cum ineptis fabularum actoribus, uerba, quibus ea comparatio exponitur, ita in omnibus libris leguntur. Οἱ δὲ πρὸς οὐδὲν ἀναπληροῦντες, φησὶ, τὸν σιῶν δεσμὸν, ἐοίκασι τοῖς ὑποκριταῖς, τοῖς τὸ καὶ τὸ πρὸς οὐδὲν ἔπος λέγουσι. quibus in uerbis inſit fortaſsis etiã aliquid aliud uitii: illud quidem certe uix dubium eſt, quin poſtrema pars ita legenda ſit: ἐοίκασι τοῖς ὑποκριταῖς, τοῖς τὸ αἲ, καὶ τὸ φεῦ πρὸς οὐδὲν ἔπος λέγουσι. non quin ſciam, τὸ καὶ τὸ, Græcis ualere, hoc & illud: ſed exempla ipſa, quæ ponuntur à Demetrio, faciunt, ut ad eum, quem dixi, modum legi debere ſuſpicer.

De forium aperiendarum ratione apud ueteres Græcos. multis Plauti ac Terentii locis allata lux. Cap. XVII.

QVAESITVM eſt ex me, cur in Plauti ac Terentii fabulis nunquam fere quiſquam egrederetur domo, ut non antea crepuiſſe fores dicerentur. Reſpondi, eas fabulas è Græco conuerſas eſſe, iccircoq; quarundam conſuetudinum, quibus olim Græci uſi eſſent, impreſſa in eis extare ueſtigia. Quod autem Romæ antiquis temporibus M. Valerius Poplicolæ frater honoris inſigne habuiſſe dicitur, ut fores ædium ipſius, non introrſum trahendo, ſed in uiam publicam pellendo aperirentur, id quondam in Græcia uulgatum fuit: omnesq; omnium ædium fores eo modo pandebantur. quoniam igitur periculum erat, ne quiſpiam, qui aut præteriret, aut pro foribus ſtaret, ab impulſa ianua pelleretur: ideo qui exituri erant domo, ſolebant prius ipſimet intrinſecus fores ædium ſuarum percutere: ut illo ſtrepitu admonerentur, qui foris erant, cauere ſibi, atque eatenus abſiſtere, ut ne læderentur. Hoc à Plutar-

cho memoriæ proditum est: cuius hæc sunt in Poplicola. Τὰς δὲ ἑλληνικὰς, de ianuis loquitur, πρότερον ἔτως ἔχειν ἁπάσας λέγουσιν, ἀπὸ τῶν κωμῳδιῶν λαμβάνοντες. ὅτι κόπτουσι καὶ ψοφοῦσι τὰς ἑαυτῶν θύρας ἔσωθεν, οἱ προϊέναι μέλλοντες, ὅπως ἀΐδηλοις ἔξω γένοιτο τοῖς παρερχομένοις, ἢ προεσῶσι, καὶ μὴ καταλαμβάνοιντο προϊόντας ταῖς κλεισίαις εἰς τὸν ξενεπόν.

Quod de fama Virgilius dixit, idem Callimachum de Cerere, Homerum de contentione dixisse. Cap. XVIII.

SVSPICARI fortasse possit quispiam, uersum illum, qui de fama apud Virgilium libro quarto Aeneidos legitur,

Ingrediturq; solo, & caput inter sidera condit,

è Callimacho uersum esse. quamuis Callimachus non de fama id, sed de Cerere dixerat: sed potuit latinus poeta, quod de una dea Græcus dixisset ad aliam accommodare. uersus quidem certe tantum non ad uerbum expressus est.

Ἴδματα μὲν χέρσω, κεφαλὰ δέ οἱ ἄψατ' ὀλύμπω.

sed tamen uerisimilius est totum illum latini poetæ locum expressum esse ex iis, quæ apud Homerum de Contentione dicuntur.

Ἠτ' ὀλίγη μὲν πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα
Οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη, καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει.

Quid sibi uelit apud Ciceronem in epistolis ad Atticum pastoricia fistula, explicatum. Cap. XIX.

CICERONIS è libro primo epistolarum ad Atticum uer
„ ba sunt hæc: Itaque & ludis, & gladiatoribus mirandas
„ ἐπισημασίας sine ulla pastoricia fistula auferebamus. quo loco ἐπισημασίας uocat plausus, acclamationes, & similia, quibus populus bonum suum animum erga quempiam significare solitus erat, & lætitiam, quam ex illius aspectu caperet, ostendere. hoc enim Græci uocant ἐπισημαίνεσθαι. ut apud Isocratem in panathenaico: Καὶ τῶν ἄλλων ἰδέαν ἰδεῶν ἐν ταῖς ῥητορείαις διαλαμπουσῶν, καὶ τοὺς ἀκούοντας ἐπισημαίνεσθαι καὶ θορυβεῖν ἀναγκαζουσῶν. sed quod addit, sine ulla pastoricia fistula, in eo declarando, quid alii dixerint, è libris ipsorum cognoscere est. ego, quod mihi uerum uidetur, id proponere satis habebo. ueritatis enim prolata lux omnis facile tenebras dissipabit. Intelligendum igitur est, non nunquam contigisse, ut cũ quispiam alicui parti multitudinis carus & acceptus erat, ceteris autem odiosus & inuisus, partim plausu exciperetur, partim sibilo. plaudentibus enim iis, quos aspectus ipsius hilarabat, ceteri sibilabant. Ergo Cicero ut ostendat, ἐπισημασίας illas suas eiusmodi non fuisse, sed puras omnino, & εἰλικρινεῖς, ait eas fuisse sine ulla pastoricia fistula: id est, sine sibilo, cuius similem sonum notum est è pastoriciis fistulis reddi. itaque Græci in utroque dicunt συρίζειν: iidemq; interdum σύριγγα, id est, pastoriciam fistulam pro sibilo dicunt. Hæc cum iam scripsissem: uenit ad me Petrus Morinus Parisiensis, adolescens utriusque linguæ peritissimus, idemq; omnium artium, quæ quidem ingenuum hominem decent, scientia mirifice instructus, quicum ego, quàm diu hic fuit, mea omnia ioca seria, ut dicitur, libentissime communicabam: cum prope assidua quadriennii consuetudine raram quandam in eo & exquisitam eruditionem pari coniunctam bonitate cognossem. is igitur non modo declarationi meæ calculum suum adiecit, uerum etiam, quòd tum in legendis Platonis libris de legibus studiosissime uersabatur, locum mihi indicauit, qui eam summopere confirmaret. quem appingere libuit: ut & sententiam stabilirem meam, & iucundissimã magni amici memoriam grata recordatione renouarem. ergo ita scriptum est in extremo tertio de legibus. Τὸ δὲ κῦρος τούτων, γνῶναί τε, καὶ ἅμα γνόντα δικάσαι, ζημιῶν τε αὖ τὸν μὴ πειθόμενον, ἃ σύριγξ ἦν, ἃ δέ τινες ἄμουσοι βοαὶ πλήθους, καθάπερ τανῦν, ἀδ' αὖ κρότοι ἐπαίνους ἀποδιδόντες· ἀλλὰ τοῖς μὲν γεγονόσι περὶ παίδευσιν, δεδομένον ἀκούειν ἦν αὐτοῖς μετὰ σιγῆς διὰ τέλους, παισὶ δὲ καὶ παιδαγωγοῖς, καὶ τῷ πλείστῳ ὄχλῳ ῥάβδῳ κοσμοῦσης ἢ νουθέτησις ἐγίγνετο. ubi Plato idem plane σύριγγα dixit, quòd Cicero pastoriciam fistulam.

Alius locus ex iisdem epistolis declaratus. Cap. XX.

NE hæc quidem satis intelliguntur, quæ posita sunt in epi-
„ stola prima libri secundi. Prognostica mea cum oratiun-
culis propediem expecta. aiunt enim homines eruditissi-
mi, putare se, libellum significari, qui prognostica Cice-
ronis de rep. complecteretur. sed ego malo tenere quod
scio, quàm putare quod nescio. Scio autem Ciceronem
interpretatum uersibus Arati prognostica: ut constat è li-
bris de diuinatione. quare non habeo dubium, quin ea in-
telligat. meminit horum etiam libro earundem epistola-
„ rum XV. his uerbis. Equidem etiam pluuias metuo, si
„ prognostica nostra uera sunt. ranæ enim ῥητορεύουσι. Respi-
cit autem ad illos uersus:

Vos quoque signa uidetis aquai dulcis alumnæ,
Cum clamore paratis inanes fundere uoces,
Absurdoq; sono fontes & stagna cietis.

qui conuersi sunt ex illis Arateis, sed liberius, ideſt, Cice-
ronis more,

Ἢ μᾶλλον δειλαὶ γενεαὶ, ὕδροισιν ὄνειαρ,
Αὐτόθεν ἐξ ὕδατος πατέρες βοόωσι γυρίνων.

M. ANTONII MVRETI
AD HIPPOLYTVM ESTENSEM
S. R. E. CARDINALEM
ILLVSTRISSIMVM,
VARIARVM LECTIONVM
LIBER SECVNDVS.

Correctus & explicatus locus è primo libro Aristo-telis de arte dicendi. Cap. I.

MORES dicentis plurimum ualere ad persuadendum, & à magnis ac sapientibus uiris traditum est, & res ipsa loquitur. omnes enim facile adducimur, ut assentiamur iis, quos bonis moribus præditos esse opinamur. sed opinio & fama probitatis duobus modis comparari potest. primũ ipso genere ac ratione uiuendi. quæ certissima & honestissima est uia. deinde etiam spargenda eiusmodi sententiis oratione, quæ significationem habeant animi ingenui, ac liberalis, & honestatem omnibus aliis rebus anteponentis. prior ille modus ad rhetoricum artificium non pertinet. posterioris cum ab aliis dicendi magistris, tum in primis ab Aristotele multa præcepta traduntur. qui etiam negat se eorum sententiæ accedere, qui iis in libris, quos de arte ediderant, posuerant, probitatem dicentis nihil habere momenti ad faciendam fidem. à quibus ipse ita dissentit, ut fere plurimum in ea positum esse dicat. Sed cum uerba, quibus hoc exprimitur, corrupta sint in eis codicibus, qui non immerito ceteris emendatiores putantur: homoq; doctissimus, qui primus uero ac serio prætulit facem omnibus Aristotelicam in eo genere doctrinam intelligere cupientibus, in eorum explicatione sui dissimilis fuisse uideatur: constitui primum ipsa philosophi uerba proponere, ut leguntur: deinde quid in eis mutandum putem,

tem, & cur putem, indicare: quo præstito, simul etiam sententia, quæ illum, quem dico, summum uirum latuit, facile intelligetur. Ergo ita Aristoteles. Οὐ γὰρ, ὥσπερ ἔνιοι τῶν τεχνολογούντων τιθέασιν ἐν τῇ τέχνῃ καὶ τὴν ἐπιείκειαν τοῦ λέγοντος. quibus uerbis optimus interpres accusari putat eos, qui, cum artem exponerent, in arte, dicentis integritatē collocabant. deinde. ὡς δὲν συμβαλλομένης πρὸς τὸ πιθανὸν. hoc idem interpres putat cum stomacho & contemptū illorū magistrorum pronunciatum esse. sed profecto & ualde coacta uidetur hæc declaratio: & ipsemet, quasi hoc sentiēs, titubanter loqui uidetur. Sequitur. ἀλλὰ χεδὸν, ὡς εἰπεῖν, κυριωτάτην ἔχει πίσιν τὸ ἦθος. ubi ille, Hinc, inquit, insciti a horum doctorum intelligi potest: qui nihil momēti ad fidem faciendam habere crediderint, quod maximam omnium ferme uim habet. Hæc ille: quæ quàm cohæreant, quamq; inter se apta sint, omnibus perspicuum esse arbitror. Ego quæ ille diuulsit, coniungenda duco: & quam scripturam ipse, cum reperisset in illo suo optimo & antiquissimo libro, rationem eius se non dispicere falsus est, uerissimam esse statuo: συμβαλλομένην uidelicet, non, συμβαλλομένης. etiam uoculam καὶ deleo multis impressis libris auctoribus: atque ita lego denique. Οὐ γὰρ, ὥσπερ ἔνιοι τῶν τεχνολογούντων τιθέασιν ἐν τῇ τέχνῃ τὴν ἐπιείκειαν τῶν λέγοντος, ὡς δὲν συμβαλλομένην πρὸς τὸ πιθανὸν· ἀλλὰ χεδὸν, ὡς εἰπεῖν, κυριωτάτην ἔχει πίσιν τὸ ἦθος. quid autem tam manifestum, quàm illud, συμβαλλομένην, πρὸς τὴν ἐπιείκειαν referri? ἐν τέχνῃ autem est, in libris de arte scriptis. Particulam, χεδὸν, eo addidit, quia fine dubio plurimum ad fidem ualent αἱ ἀποδείξεις. In eodem etiam libro, ubi ostendit rhetoricen æqualem esse dialecticæ: atque inter cetera argumenta eius rei ponit id quo que, ut dialecticus adhibeat ad probandum duo instrumenta, syllogismum & inductionem, sic à rhetore adhiberi alia duo, quæ illis respondeant, enthymema & exemplum, non dubito, quin ita legendum sit. Τῶν δὲ διὰ τῦ δεικνύναι, ἢ φαίνεσθαι δεικνύναι, καθάπερ ἐν τοῖς διαλεκτικοῖς τὸ μὲν ἐπαγωγή ἐστι, τὸ δὲ συλλογισμός. καλῶ δὲ ἐνθύμημα μὲν, ῥητορικὸν συλλογισμὸν· παράδειγμα δὲ, ἐπαγωγὴν ῥητορικήν. quæcunque autem inculcata sint

sunt, recte aberant ab aliis libris: & addita sunt ab iis, qui, errore ducti, deesse aliquid existimarent: cum tamen nihil desit. hoc enim dicit Aristoteles. Eorum quæ faciunt fidem, quòd aut demonstrent, aut demonstrare uideātur, aliud syllogismum esse, aliud inductionem: quemadmodū & in dialecticis. se enim uocare enthymema, syllogismum oratorium: exemplum uero, oratoriam inductionem. Verbum φαίνεσθαι, & uox καθάπερ obiecisse errorem uidentur iis, qui aliquid præterea addendum censuerunt.

De Psyllis, & ophiogenesin. Allatus locus Varronis, cuius testimonio usus erat Plinius. Cap. 11.

Plinii uerba sunt hæc è capite secundo libri septimi.
„ Crates Pergamenus in Hellesponto circa Pariū genus ho-
„ minum fuisse tradit, quos Ophiogenes uocat, serpentum
„ ictus contactu leuare solitos, &, manu imposita, uenena
„ extrahere corpori. Varro etiam nunc esse paucos ibi, quo-
„ rum saliuæ contra ictus serpentum medeantur. Similis &
„ in Africa gens Psyllorum fuit, ut Agatharchides scribit, à
„ Psyllo rege dicta, cuius sepulcrum in parte Syrtium maio-
„ rum est. Horum corpori ingenitum fuit uirus exitiale ser
„ pentibus, ut cuius odore sopirent eas. Mos uero, liberos
„ genitos protinus obiiciendi sæuissimis earum: eoq; gene
„ repudicitiam coniugum experiendi: non profugientibus
„ adulterino sanguine natos serpentibus. Hæc Plinius. qui cum Varronis testimonio utatur, cuius scripta, maximo studiorum incommodo, desiderantur: ego autem ea, quibus hoc ipsum doctissimus ille scriptor exposuerat, uerba repererim, operæpretium facturum esse me duxi, si ea hic apponerem, ac cum Plinianis contenderem. Citat igitur hæc Priscianus è Varronis libro primo rerum humanarū.
„ Vt habent Parii, qui uocantur ὀφιογενεῖς, & in Africa Psyl-
„ los. quorum ὀφιογενεῖς cum arbitrantur, suppositum esse ali-
„ quem in stirpe, ei admouent, ut pungat, colubram. cum
„ pupugerit, si de genere sit, uiuere: si non sit, mori. In eo-

dem

dem. Admota aſpis cum pupugerit, ſi non occidat, ſciat, ex Pſyllorum ſtirpe eſſe.

Sententiam illam, Patria eſt, ubicunque bene eſt, acute à Lyſia reprehenſam. Cap. III.

QVOD in uetere tragœdia Telamonis filius Teucer dixiſſe traditur, Patriam eſſe cuique, ubicunque cuique eſſet bene, id etſi pulchre ac ſapienter dictum uidetur, profectũq; ab animo excelſo, & deſpiciente omnes acerbitates, quas homini obiicere fortuna poſſet: grauiter tamen & uere reprehenſum eſt ab oratore prudentiſsimo, & acutiſsimo Lyſia: demonſtratumq; eam ſententiam hominis eſſe de ſuis tantum commodis ſoliciti, neque ad ciuilem communionem apti. non enim ualde laborabit, quid patria ſua fiat, quicunque eo erit animo, ut illius caritatem opportunitatibus ſuis metiatur. ſolum ipſum, cui primum inſtitit, & cælum ipſum, unde primum ſpiritum duxit, diligat oportet, qui ſe bonum ciuem perhiberi uult: aut, ſi forte, cum alibi natus eſſet, ciuitate donatus eſt, eam imbibat opinionem, ut, niſi ciuitati bene ſit, ne ſibi quidem putet bene eſſe poſſe. Itaque Vlyſſes, ut eſt in fabulis, cum apud Calypſonem poſſet in omnibus deliciis uiuere, tamẽ illam aſperam, & lapidoſam patriam ſuam antepoſuit etiã immortalitati: non ita facturus, ſi illam, quam diximus, Teucri ſententiam approbaſſet. Verum ipſa uerba, quibus eam exagitat Lyſias, præſtat, ut opinor, aſcribere. Sunt autem in oratione aduerſus Philonem, hoc modo. Καὶ γὰρ οἱ φύσει μὲν πολῖταί εἰσι, γνώμῃ δὲ ἐξῴκηνται, ὡς πᾶσα γῆ παντὶς αὐτοῖς ἐστὶν, ἐν ᾗ ἂν τὰ ἐπιτήδεια ἔχωσιν, οὗτοι δῆλοί εἰσιν, ὅτι ἂν παρέντες τὸ τῆς πόλεως κοινὸν ἀγαθὸν, ἐπὶ τὸ ἑαυτῶν ἴδιον κέρδος ἔλθοιεν, διὰ τὸ μὴ τὴν πόλιν, ἀλλὰ τὴν οὐσίαν πατρίδα αὐτοῖς ἡγεῖσθαι. Igitur dictum illud Teucri, bonum quidem uirum aliquando fortaſſe nõ dedeceat: bonum certe ciuem non decet.

De ui uerbi alloquor. Horatii in odis explicatus locus. Cap. IIII.

ALLOQVENDI uerbum proprie admodum & uenuſte uſurpatum eſſe à ueteribus in eo ſermone, qui leuandi ac minuendi alieni doloris cauſſa haberetur, è Varronis libris iampridem Petrus Victorius annotauit. acceptum autem id à Græcis uidetur. παραμυθεῖσθαι enim, aut παρηγορεῖν, uerbum è uerbo, eſt alloqui. præclare igitur Seneca: apud quem ita in Troade Vlyſſes.

Alios parentes alloqui in luctu decet.
Tibi gratulandum eſt.

quo exemplo haud ſcio an nullum in ſcriptoribus antiquis extet inſignius, & illuſtrius. et eſt profecto poeta ille præclarior, & uetuſti ſermonis diligentior, quàm quidam inepte faſtidioſi ſuſpicantur. Allocutionem etiam dixerunt παρηγορίαν ἢ παραμυθίαν: ut Catullus,

Quem tu, quod minimum facillimumq; eſt,
Qua ſolatus es allocutione?

& alloquium, παραμύθιον. quod cum eſſet ignotius, data eſt occaſio imperitis corrumpendi carminis cuiuſdam Horatiani. quod cum in ueteribus libris ita legeretur:

Illic omne malum uino cantuq; leuato,
Deformis ægrimoniæ dulcibus alloquiis:

iſti fecerunt, Deformis ægrimoniæ, & dulcibus alloquiis. atque ita interpretati ſunt, moneri Achillem à Chirone, ut ad Troiam leuaret omne malum deformis ægrimoniæ tribus rebus: uino, cantu, & iucundis ſermonibus. Non autem id dixit Horatius: ſed uinum & cantum uocauit dulcia deformis ægrimoniæ alloquia, id eſt γλυκέα παραμύθια.

De Callisthene & Philisto. locus Ciceronis emendatus, & declaratus. Capitales interdum à ueteribus ingeniosos dictos esse. Cap. v.

M. Tvllii uerba hæc sunt in epistola quadam ad Q. fratrem. Itaque ad Callisthenem & Philistum redeo: in quibus te uideo uolutatum. Callisthenis quidem uulgare & notum negocium: quemadmodum Græci aliquot locuti sunt. Siculus ille capitalis, creber, acutus, breuis, pene pusillus Thucydides. Sed est apud me liber uetus, in quo hæc ita scripta animaduerti. Itaque ad Callisthenem & Philistum uideo: in quibus te uideo uolutatum. Vnde suspicor, primum quidem errore librarii bis positum esse uerbum, uideo, quod semel tantum poni oporteret. deinde aliquem, qui corrigere uellet, ex, uideo, illo priori fecisse redeo. satis autem erat delere. uidetur enim Cicero ἐλλειπλικῶς, ut sæpe alias, locutus, hoc modo. Itaque ad Callisthenem & Philistum: in quibus te uideo uolutatum. eo magis, quòd in iis quæ anteceſſerunt, de duobus illis historicis nulla mentio est: ut ad eos redire dicatur. Sequitur in eodem illo libro. Callisthenes quidem uulgare & notum negocium: quemadmodum Græci aliquot. Siculus ille capitalis, creber, acutus, breuis, pene pusillus Thucydides. quam scripturam ueram & emendatam esse iudico. Ipsum enim Callisthenem dicit esse uulgare & notum negocium, id est, ἀκαταφρόνητον πρᾶγμα, καὶ ὑ πολλοῦ ἄξιον. negociumq; ita dixit, ut Græci interdum πρᾶγμα. Lucianus in asino. Ξένος, ἀκαταφρόνητον πρᾶγμα. aut χρῆμα. Theocritus: σοφόν τι χρῆμ' ἄνθρωπος. & Cicero ipse alibi: Teucris illa, lentum sane negocium. Vulgare autem & notum, triuiale, & in quo nihil admodum excellat. Horatius,

Ieiunus stomachus raro uulgaria temnit. Idem.
Ex noto fictum carmen sequar.

quod enim ibi notum dicit, paulo post uocat de medio sumptum. Iam illa uerba, locuti sunt, quin melius absint, non dubito. hoc enim dicit, aliquot alios Græcos similes esse

esse Callisthenis, id est, non magni ipsos quoque precii. Nam quod à doctissimis hominibus dictum scio, Callisthenem locutum in historia non exquisite, sed quomodo uulgo loquerentur: miror, unde id sumpserint: cum ipsius scripta non extent: Cicero autem ipse alibi aiat, eum pene rhetorico more historiam scripsisse. Dissentio etiam ab eis, in eo quòd capitalem, grauem, & capita rerum attingentem exponunt. primum, quoniam si Philistus capita modo rerum attigit, plane Thucydidi similis non fuit. fuisse autem, & Cicero hic, & libro secundo de oratore, & M. Fabius libro decimo docet. omnium autem optimè ac luculentissime Dionysius Halicarnasseus, cuius uerba melius erit ascribere: cum & admodum peruulgata non sint, & illud ostendant, Philistum neque grauem fuisse, sed humilem & abiectum: neque capita modo rerum attigisse, sed potius eo nomine reprehensum, quòd in descriptionibus quibusdam prope ociosis nimis immoraretur. Φίλιστος δὲ μιμητής ἐστι Θουκυδίδου, ἔξω τοῦ ἤθους, τὸ μὲν γὰρ, ἐλαττόνως, καὶ φρονήματος μεῖον. τοῦτο δὲ θεραπευτικὸν τῆς τυράννων καὶ ἄλλων πλεονεξίας. ἐζήλωκε δὲ πρῶτον μὲν τὸ τὴν ὑπόθεσιν ἀτελῆ καταλιπεῖν, τὸν αὐτὸν ἐκείνῳ τρόπον, ὃ μὴν ἀλλὰ καὶ τὴν ἀταξίαν αὐτοῦ τῆς οἰκονομίας. καὶ δυσπαρακολούθητον τὴν πραγματείαν τῇ συγχύσει τῶν εἰρημένων πεποίηκε. τῆς δὲ λέξεως τὸ μὲν γλωσσηματικὸν καὶ περίεργον οὐκ ἐζήλωκε Θουκυδίδου, τὸ δὲ τραχύλον, καὶ πυκνὸν, καὶ εὔτονον, καὶ ἐναγώνιον πάνυ ἀκριβῶς ἀπεμάξατο. ὃ μὴν ὁμοίως τὴν καλλιλογίαν, καὶ τὴν σεμνότητα, καὶ τὴν ἀφθονίαν τῶν ἐνθυμημάτων, καὶ τὰ πάθη, καὶ τὰς σχηματισμούς. μικρὸς δέ ἐστι καὶ ταπεινὸς κομιδῇ, ταῖς ἐκφράσεσιν ἤτοι τόπων, ἢ ναυμαχιῶν, ἢ πεζῶν παρατάξεων, ἢ οἰκισμοῦ πόλεων. οὐδὲ ὁ λόγος τῷ μεγέθει τῶ πραγματος ἐξισοῦται. σωφρονέστερος μέντοι, καὶ κατὰ τὴν ἑρμηνείαν, Θουκυδίδου πρὸς τὰς ἀληθεῖς ἀγῶνας ὠφελιμώτερος. Hæc igitur, cur ei declarationi non assentiar, una causa est. altera, quòd nomen capitalis eam uim habere apud latinos nō puto. Quo fit, ut hoc loco capitalem accipiam ingeniosum, &, ut paulo post dicitur, acutum. Id autem ualuisse uocabulum illud apud ueteres, docet Ouidius libro tertio fastorum, qui de Minerua capta differens, multasq; eius appellationis causas proferens: hanc primam ponit, dictam uideri

posse captam, quasi capitalem: quòd ingeniosa sit. Versus, quibus ea sententia continetur, hi sunt.

Parua licet uideas captæ delubra Mineruæ,
Quæ dea natali cœpit habere suo.
Nominis in dubio caussa est. capitale uocamus
Ingenium solers. ingeniosa dea est.

neque me latet, alibi Philisti breuitatem à Cicerone laudari. sed aliud est breuem esse, aliud capita rerum attingere. Breuitas quidem etiam in Thucydide, Salustioq; laudatur. Fieri tamen potest, ut illi aliud quippiam secuti sint, quod me fugiat. neque ego ipsorum iudicio meum antepono postulo. tantum, quid mihi uideatur, aperte ac libere dico: iudicium aliorum facio.

Pauperum cognationem à nemine libenter agnosci. Terentii loco allatus non dissimilis Menandri. Cap. VI.

QVOD homo impurus apud Terentium subdole & malitiose Phormio dicit, iccirco nolle Demiphonem agnoscere, eam puellam, cuius ipse se defensorem esse simulabat, tanquam cognatam sibi: quòd illa egens relicta esset: id olim Menander generatim atque uniuerse, summa cum elegantia, dixerat: pronunciaratq;, difficile & operosum esse, reperire cognatum pauperis. neminem enim fateri, sibi quicquam esse eum, qui auxilii alicuius indigeret. propterea quòd statim putaret à se aliquid petitum iri. Terentii uersus sunt.

Quia egens relicta est misera, ignoratur parens,
Negligitur ipsa. uide, auaritia quid facit.

Menandri autem, = ἔργον ἐυρεῖν συγγενῆ
Πένης τός ἐστιν. ἀδέεις γὰρ ὁμολογεῖ,
Αὑτῷ προσήκειν τὸν βοηθείας τινὸς
Δεόμενον, αἰτεῖσθαι γὰρ ἅμα τὶ προσδοκᾷ.

Menandræa uero hæc ita in latinum sermonem conuerterit quispiam.

= ægre inueneris
Cognatum egentis. nemo enim agnoscit libens,
Ad se attinere eum, opis alicuius qui indiget.
Nam mox petitum quippiam à se iri putat.

Ciceronis locus è Dinarcho expressus ostenditur. Cap. VII.

M. TVLLIVM in orationibus suis multa è Græcis oratoribus mutuatum esse constat: neque tantum artificii, quo illos in uersandis ac regendis auditorum animis usos esse perspiceret, acrem ac diligentem imitatorem fuisse, uerum etiam integra non parum sæpe enthymemata illorum, in orationes suas transtulisse. Iuuat autem me, quatenus licet, id obseruare: profiteorq; me ex eiusmodi locorum contentione singularem quandam, eamq;, ut opinor, neque illiberalem, neque frugis expertem capere animo uoluptatem. et quia ex meo sensu de aliis iudico, puto ceteris quoque idem usuuenire: nemo ut sit paulo humanior, cui non gratum ac iucundum sit cognoscere, quid à quoque Cicero sumpserit, quoque modo quæ illorum erant, imitando fecerit sua. Quocirca talia quædam his libris inspergere est animus: non ullo quidem certo ordine, neque enim genus hoc scriptionis ordinem postulat: sed ut quicque in mentem uenerit. Nunc autem occurrit illud: quod scriptum est in priore actione in Verrem. Nam cum iudicum fidem non nihil suspectam haberet orator: acute uidit, quomodo eos excitare, ac perterrefacere, ne se corrumpi sinerent, oporteret. affirmauit enim, totam ciuitatem esse in speculis, obseruantem, quam quisque reip. præstaret fidem: &, ut ipsi de Verre iudicassent, ita de ipsis populum R. iudicaturum. Idem autem, & iisdem propemodum uerbis dixerat antiquis temporibus Dinarchus in acerbissima oratione, qua insectatus est Demosthenem: ut non sine caussa uideri possit, Ciceronem, cum illa scriberet, Dinarchi locum sibi propositum, quem imitaretur, habuisse. quod ut magis intelligatur, Ciceronis primum, deinde Dinarchi uerba subiiciam. Cicero. Nunc autem homines

„ homines in ſpeculis ſunt: obſeruant, quemadmodum ſe
„ unuſquiſque ueſtrum gerat in retinenda religione, conſer
„ uandisq; legibus. et paulo poſt. Hoc eſt iudicium, in quo
„ uos de reo, populus R. de uobis iudicabit.

Dinarchus. Ὁρᾶτε γὰρ ὦ ἀθηναῖοι, ὅτι παρὰ μὲν ὑμῖν Δημοσθένης ὅτοσὶ κρίνεται, παρὰ δὲ τοῖς ἄλλοις ὑμεῖς. οἱ σκοπῆσαί τινά ποτε γνώμην ἔξετε περὶ τῶν τῇ πατρίδι συμφερόντων. καὶ πότερον τὰς ἰδίας τούτων δωροδοκίας καὶ πονηρίας ἀναδέχεσθε εἰς ὑμᾶς αὐτὰς, ἢ φανερὸν πᾶσιν ἀνθρώποις ποιήσετε, ὅτι μισεῖτε τὰς κατὰ τῆς πολιτείας δῶρα λαμβάνοντας.

Quod Victorius de auctore libri de mundo ad Alexandrum credidit, uerum non uideri. Cap. VIII.

LIBER, qui uulgo Ariſtoteli tribuitur, de mundo ad Alexandrum, quin Ariſtotelis non ſit, nemini dubium eſſe arbitror. nam, ſi nihil aliud, ipſum certe dictionis genus ita ab Ariſtoteleo diſsidet, ut eam diſcrepantiam qui nō uideat, nihil omnino uideat. ſed quòd P. Victorius putauit ſe uerum illius auctorem reperiſſe, in eo falſus opinione ſua uidetur. neque ſane ſatis mirari poſſum, quid hominem & magna doctrina, & acri iudicio præditum mouerit, ut, nullo alio argumento, niſi quòd Nicolaus Damaſcenus aliquid iiſdem de rebus ſcripſerit, librum eum illius eſſe affirmarit. Nicolaus enim, ut notum eſt, Auguſti temporibus uixit. at liber ille ad Alexandrum Philippi filium ſcriptus eſt. quomodo igitur hæc quadrare poſſunt? non enim minus ridiculus fuiſſet hac ratione Nicolaus, quàm ſi quis hodie ad Priamum, aut ad Hectorem ſcriberet. Itaque etiam ſi antea creditum eſſet, librum illum à Nicolao ſcriptum, tamen id falſum eſſe, aperte, eo, quod dixi, argumento conuinceretur. nedum, in tanta temporum repugnantia, ſine ulla firma ratione ei tribui debeat.

Piſces

Piſces paruulos à maioribus deuorari, multorum ſcriptorum teſtimoniis confirmatum. emendatus Varronis locus. Cap. IX.

PETRVS Victorius libro ſexto Variarum lectionum, cum doceret, id quod hodieq; prouerbii loco dicitur, minutos piſces maioribus pro cibo eſſe, etiam antiquis temporibus dici ſolitum: confirmauit id duobus locis prolatis, uno Polybii, altero Varronis. ſed Varronis uerſus, niſi me fallit opinio, non ſatis emendate ſcriptos protulit. Vi ſum eſt igitur ita eos proponere, ut diſtinguendos emendandosq; arbitrarer. Varro Margopoli περὶ ἀρχῶν.

Natura humanis omnia ſunt paria.
Qui pote plus, urget. piſces ut ſæpe minutos
Magnu' comeſt: ut aues enecat accipiter.

eam autem eſſe in piſcibus feritatem, ut in genus ſuum ſæuiant, multi optimæ notæ auctores prodiderunt: ut Oppianus libro ſecundo ἁλιευτικῶν, his uerſibus.

Ἰχθύσι δ' οὔτε δίκη μεταρίθμιος, οὔτέ τις αἰδὼς
Οὐ φιλότης. πάντες γὰρ ἀνάρσιοι ἀλλήλοισιν
Δυσμενέες πλώουσιν. ὁ δὲ κρατερώτερος αἰεί
Δαίνυτ' ἀμαυροτέρους. ἄλλῳ δ' ἐπινήχεται ἄλλος
Πότμου ἄγων. ἕτερος δ' ἑτέρῳ πόρσυνεν ἐδωδήν.

neque tantum à maioribus minores, ſed interdum quoque maiores à minoribus arte ſuperari ac uorari docet. Homerus quoque Troianos Achillem fugientes comparat piſcibus delphina fugientibus, ne ab ipſo uorentur. Verſus ipſius ſunt Iliados φ.

Ὡς δ' ὑπὸ δελφῖνος μεγακήτεος ἰχθύες ἄλλοι
Φεύγοντες πιμπλᾶσι μυχὸς λιμένος εὐόρμου,
Δειδιότες. μάλα γάρ τε καὶ εὐδίει ὅν κε λάβησιν.
Ὡς τρῶες ποταμοῖο κατὰ δεινοῦ ῥέεθρα
Πτῶσσον ὑπὸ κρημνούς.

Sed & apud Aelianum principio librorum de uaria hiſtoria, & apud Ariſtotelem libro VIII. de natura animalium, quædam idem confirmantia leguntur.

Iugurtham,

Iugurtham, cum in triumpho ductus esset, desipere ac delirare cœpisse. Plutarchi in Mario locus. Cap. x.

DE VI doloris Venetiis, magna stipatus studiosorum hominum corona, aliquando disputabam: cumq; mihi occurrisset, ut dicerem, eo dolore, quem è magnis infortuniis & calamitatibus homines caperent, mentem quoque ipsam sæpe turbari: adigiq; ad insaniam eos, qui antea cati in primis & solertes fuissent: cum alios complures nominaui, quibus id contigisset, tum Numidarum regem Iugurtham. eius autem rei testem atque auctorem laudaui Plutarchum in Mario. Postridie eius diei uenit ad me unus eorum, qui sermoni illi interfuerant, homo & probus, & ceteroqui non ineruditus, sed Græcarum inscius litterarum. Is cum mihi prius, siue officii caussa, siue quòd ipse errore ductus ita sentiret, magnopere gratulatus esset, dixissetq;, me & sibi & aliis ualde in eo sermone placuisse: Vnum, inquit, est, quod magnam hercule mihi molestiam exhibuit. nam cum, domum reuersus, in bibliothecam me abdidissem, cœpi ea, quæ tu dixeras, mecum in animo recolere. ac cetera quidem, nihil abfuit, non sane multum, quin ita uti tu dixeras, in iis, quos dixeras, libris scripta repererim. unum de Iugurtha reperiendi nulla potestas fuit. et quidem ea caussa totam Marii uitam ita diligenter perlegi, ut ne littera quidem una me fugerit. Velim igitur, si commodum est, quem mihi iniecisti scrupulum, tute eximas: recogitesq; tecum, unde id sumpseris. nam de Plutarcho quidem, fugit te ratio. Tum ego: Facile istuc quidem, inquam, fuerit. nam & memoria nemo est hominum qui ualeat minus: & here ad dicendum non sane ualde meditatus accesseram. sed tamen quid uetat, Plutarchum à me quoque inspici? Vt tibi quidem, inquit, plane satisfacias, animumq; expleas. nam quod reperire te id posse censeas, nihil est. Hæc eo dicente, ego iam puerum codicem poposceram: in quem ut primum conieci oculos,

oculos, obtulit se mihi id, quod quærebam, his uerbis explicatum. Καὶ Μάριος ἐκ Λιβύης μετὰ τοῦ στρατεύματος διακομισθεὶς, αὐταῖς καλάνδαις Ιαναρίαις, ἣν ἔτυς ἀρχὴν ἄγουσι Ρωμαῖοι, τήνικα ὑπατείαν ἀνέλαβε, καὶ τὸν θρίαμβον εἰσήλασεν, ἄπιστον ἐπιδειξάμενος θέαμα Ρωμαίοις, Ιυγόρθαν αἰχμάλωτον, ὃν ζῶντος ἐδ' ἂν εἷς ἔλπισε πολεμίων κρατήσειν. ὥτω τὶς ἦν ποικίλος ἀνὴρ τύχαις ὁμιλῆσαι, καὶ πανουργίᾳ πολλῇ μεμιγμένον ἔχων τὸ θυμοειδές. ἀλλ' ἐξέστη γε πομπευθεὶς, ὡς λέγουσι, τότε τῶ φρονεῖν. καὶ μετὰ τὸν θρίαμβον εἰς τὸ δεσμωτήριον ἐμπεσὼν, ὡς οἱ μὲν αὐτῶ βίᾳ περιέρρηξαν τὸν χιτωνίσκον, οἱ δὲ ἀποδύοντες ἀφελέσθαι βίᾳ τὸ χρυσῶν ἐλλέβιον, ἅμα τὸν λοβὸν σωαπέρρηξαν, ὠσθεὶς δὲ γυμνὸς εἰς τὸ βάραθρον κατεκλήθη, μεσὸς ὢν ταραχῆς, καὶ διασεσηρὼς, Ηράκλεις, εἶπεν, ὡς ψυχρὸν ὑμῶν τὸ βαλανεῖον. quæ, pro tempore, ipsius caussa, ita tum à me in latinum sermonem conuersa sunt. At Marius ex Africa cum exercitu aduectus, kal. Ian. ipsis, quod anni principium Romanis est, tum consulatum denuo iniit, tum triumphum egit, in quo incredibile Romanis spectaculum exhibuit, captiuum Iugurtham. quo uiuo, nemo unquam, hostes uinci posse, sperasset. ita uario erat uir ille, & multiplici ingenio, & ad fortunæ uicissitudines uersatili: & ea præditus audacia, cui multa calliditas esset admista. sed in triumpho ductus, desipere, ut fertur, ac delirare cœpit. itaque post triumphum, in carcerem compactus, ut ei alii quidem uiolenter abrupere tuniculam, alii autem auream inaurem per uim eripere properantes, infimam una quoque auriculam discideruut, ipse autem nudus in barathrum pulsus ac deiectus est, stuporis plenus, retectis, ridentis in morem, dentibus, Iupiter, inquit, ut frigidum uestrum balneum est. His lectis, & interpretatis, miratus ille, suum quoque librum afferri uoluit. sed in eo ita erant omnia hæc non illepide modo & incondite, uerum etiam absurde, & procul à uero posita, ut meminisse pigeat. Indignatus igitur, & multa mala precatus istis librorum contortoribus, ita tum discessit à me, ut qui se, etsi natu iam grandior, primo quoque tempore alicui Græcæ linguæ magistro operam daturum esse iuraret. Non est autem præter eundum silentio, suspicari me, quod apud Plutarchum legitur, τύχαις ὁμιλῆσαι, legi debere,

bere, ὁμιλῆσαι. puto enim τύχας ὁμιλῆσαι, esse, naturam suam uersare, & ad fortunæ mutationes inflectere. sed de hoc alii iudicabunt.

Aristotelis locus, allatis Theognidis uersibus, qui eandem sententiam continent, illustratus. Cap. XI.

ARISTOTELES primo rhetoricorum, cum enumeraret ea, quæ animum facere alicui possent ad iniuriam alteri inferendam: id quoque posuit, quod quotidie experimur: amicitiam, non illam quidem ueram, & perfectam, sed ut uulgo amicitiæ nomine utimur, cum quamlibet familiaritatem ac consuetudinem uitæ, amicitiam uocamus: eam igitur efficere, ut homines improbi ad imponendam iniuriam sint audentiores. facilius enim se id quod uolunt, effecturos esse credunt: cum ab inimicis omnes sibi caueant: ab amicis nemo sibi cauendum putet. id autem ante Aristotelem sapientissimus poeta dixerat Theognis: cuius hi uersus sunt.

Ἐχθρὸν μὲν χαλεπὸν καὶ δυσμενῆ ἐξαπατῆσαι
Κύρνε. φίλον δὲ φίλῳ ῥᾴδιον ἐξαπατᾶν.

quos uersus ita ludibundi conuertimus.

Fallere difficile est inimicum. at amicus amicum
Fallere non magno Cyrne labore potest.

Genus quoddam loquendi Horatianum indicatur è Græco fonte manasse. Cap. XII.

Cur me querelis exanimas tuis?
Nec diis amicum est, nec mihi, te prius.
Obire Mæcenas, mearum
Grande decus columenq; rerum.

Versus hi sunt, ut notum est, è secundo libro odarum Horatii: in quibus genere loquendi usus est apto illo quidem & eleganti, sed apud latinos non ualde, nisi me fallit animus,

mus, usitato. nam amicũ esse aliquid diis, pro eo quod est, diis ita uideri, ac placere, ubi præterea legatur, equidem haud facile dixerim. neque sane ea dicendi ratio Romanis domestica ac uernacula est, sed trans mare petita, ob idq; non obesæ naris hominibus ἡδίσης τινὸς ὄζουσα ξενίας. id ut magis perspiciatur, aliquot illius exempla è duorum post homines natos eloquentissimorum hominum sumpta libris proferam: Homeri, & eius quem Panætius Homerum philosophorum uocabat. apud Homerum igitur Pallas ad Iouem pro Vlysse uerba faciens, orat eum, ut, si quidem diis amicum est eum domum redire, Mercurium mittat, qui id Calypsoni nunciet. eius uerba sunt.

Ὦ πάτερ ἠμέτερε Κρονίδη ὕπατε κρειόντων,
Εἰ μὲν δὴ νῦν τοῦτο φίλον μακάρεσσι θεοῖσι,
Νοστῆσαι Ὀδυσῆα δαΐφρονα ὄνδε δόμονδε, & cetera.

Apud Platonem autem Socrates, in apologia, cum dixisset, se tentaturum, si posset è iudicum animis euellere praua illam opinionem, quam, adducti calumniatorum sermonibus, de ipso conceperant: sed putare, id difficile factu fore: Verum tamen, inquit, hac quidem de re ita sit, ut deo amicum est. ὅμως δὲ τοῦτο μὲν ἴτω, ὅπῃ τῷ θεῷ φίλον. et in dialogo περὶ πρακτῶν, cum ei dixisset Crito nauem eo die è Delo appulsuram: ideoq; ipsi postridie è uita migrandum fore: Atqui, inquit, o Crito, bene eueniat. si ita diis amicum est, ita esto. ego tamen eam hodie uenturam non puto. Ἀλλ' ὦ Κρίτων τύχῃ ἀγαθῇ. εἰ ταύτῃ τοῖς θεοῖς φίλον, ταύτῃ ἔστω. ἐμέντοι ὅιμαι ἥξειν αὖ τὸ τήμερον. & in Theage: Ἐὰν μὲν τῷ θεῷ φίλον ᾖ, πάνυ πολὺ ἐπιδώσεις, καὶ ταχύ. & libro x legum: Τὰ μὲν ἓν δὴ τῶν ἀρχαίων πέρι, μεθείσθω, καὶ χαιρέτω, καὶ ὅπῃ θεοῖσι φίλον, λεγέσθω ταύτῃ. tale quoque est illud Aeschyli.

ὡς μάθῃ τί χρὴ
Δρῶντ' ἢ λέγοντα δαίμοσι πράπειν φίλα.

Sed & illa non dissimilia sunt, Πολυδάμα σὺ μὲν οὐκ ἔστ' ἐμοὶ φίλα ταῦτ' ἀγορεύεις, & in Protagora, ἔισοι φίλον: & apud Euripidem in Ione, τῷ θεῷ γὰρ ἦν φίλον, eiusdemq; generis alia. Sæpe autem monui, solitum Horatium, inspergenda scriptis suis Græcitate, salem eis ac Venerem quærere.

Platonis locus conuersus à Cicerone in Hortensio, in quo Marsilius leuiter lapsus est. Cap. XIII.

QVI aut aucupandæ inanis gloriolæ studio, aut conuincendi magis quàm docendi aduersarii gratia disputant: ii acriter urgere ac premere eum solent: neque fere, si quid ipse inconsideratius aut fassus, aut inficiatus est, mutandæ postea sententiæ potestatem facere. at qui ueritatem modo in disputando spectant, & docere eos cũ quibus agunt, uolunt, æquiores liberalioresq; sunt: neque ad uiuum omnia resecant: sed si quid is, quicum sermo est, dederit, cuius postea dati peniteat: in eo non pertendunt, peruicaces ue sunt: lubentibusq; ipsis, corrigere se, qui sibi lapsus uidetur, potest. Id se facere, cum significare uellet Socrates in Hipparcho, eleganti admodum similitudine usus est, sumpta à ludo XII. scriptorum, his uerbis. Ἀλλὰ μὴν καὶ, ὥσπερ πεπεύων, ἐθέλω σοι ἐν τοῖς λόγοις ἀναθέσθαι ὅ, τι ἔνεστι τῶν εἰρημένων, ἵνα μὴ ὕστερον ἐξαπατᾶσθαι. quæ summi philosophi uerba cum à summo oratore Romano in latinum sermonem elegantissime conuersa reperissem, non indignum id putaui, quod annotarem. Citat igitur hæc Nonius Marcellus è Ciceronis Hortensio. Itaque tibi concedo, quod
„ in XII. scriptis solemus, ut calculum reducas, si te alicuius dati penitet. Marsilius autem, qui locum illum Platonis ad ludum talorum retulit, falsus uidetur. Sed & in illo è Protagora, Ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν ἀναθέσθαι ἔξεσιν: & in primo πολιτειῶν, ubi Polemarchus, aliter amicum & inimicum definire uolens, quàm prius fecerat, ita loquitur: Ἀλλὰ μεταθώμεθα. κινδυνεύομεν γὰρ ἂν ὀρθῶς τὸν φίλον καὶ ἐχθρὸν θέσθαι: & aliis similibus locis, facile crediderim, metaphoram ex eodem illo XII. scriptorum ludo desumptam subesse.

Ciceronis

Ciceronis locus, quem Silius eleganter imitatus est. Cap. XIIII.

SILIVM Italicum, poetam, meo quidem iudicio, præstantem, Ciceronis apprime studiosum fuisse, eiusq; libros diligentissime atque assiduissime lectitasse, nõ modo Martialis, qui eius coæuus fuit, testimonio cognoscimus sed multo magis ex eo intelligimus, quòd eum multa Ciceronis in poema suum transtulisse, eaq; scienter admodũ accommodasse ad illa, quæ tum tractabat, uidemus. cuius rei exemplum hic unum proponere libitum est. Libro igitur septimo, cum Q. Fabius Annibalem ludificando, & cunctando, & bellum trahendo frangeret: Romaniq; milites pugnæ auidi, & conferendarum cum hostibus manuum ingenti desiderio incensi, quidq; mora proficeretur, nescientes, imperatorem suum, tanquam ignauum, &, ut Horatius loquitur, inaudacem, summa uerborum immoderatione increparent: iamq; sublato clamore, iniussu ipsius rem gerendam esse uociferarentur: graui oratione furentem illorum impetum repressurus Fabius, ita exordiatur, ut dicat, nunquam sibi Romanos in tanto discrimine summam rerum tradituros fuisse, si se talibus clamoribus turbatum iri credidissent.

Feruida si nobis corda, abruptumq; putassent
Ingenium patres, & si clamoribus, inquit,
Turbari facilem mentem: non ultima rerum,
Et deplorati mandassent Martis habenas.

Cicero quoque in ea oratione, qua C. Rabirium perduellionis reum protexit & eripuit, cum quiddam paulo confidentius dixisset, clamorq; concionalis secutus esset: Nihil me, inquit, clamor iste commouet: sed consolatur:
„ cum indicat, esse quosdam ciues imperitos, sed non mul-
„ tos. Nunquam, mihi credite, populus R. hic, hic qui si-
„ let, consulem me fecisset, si uestro clamore perturbatum
„ iri arbitraretur.

Quodnam

Quodnam sit uerbum illud Græcum, quo usos esse Athenienses in discordiis sedandis ait Cicero in Philippicis. Cap. XV.

VERBVM Græcum, quo in sedandis discordiis ait Cicero usam esse Athenienſium ciuitatem, non est, ut opinor, ἀμνησία: quanquam ab omnibus qui eum locum attigerũt, ita esse traditum scio. neque me mouet, quod Plutarchus ἐν τοῖς πολιτικοῖς παραγγέλμασι scitum illud uocat τὸ τῆς ἀμνησίας ψήφισμα: quodq; alii scriptores latini idem confirmant. neque enim nego ita eam legem postea uocatam esse. at uerbum ipsum, quod in lege positum est, aio fuisse, μὴ μνησικακεῖν. cuius rei multos locupletes & idoneos auctores habeo: ut Xenophontem, cuius hæc sunt è secundo ἑλληνικῶν. Καὶ ὀμόσαντες ὅρκους ἃ μὲν μὴ μνησικακήσειν, ἔτι καὶ νῦν ὀμῶ τε πολιτεύονται, καὶ τοῖς ὅρκοις ἐμμένει ὁ δῆμος. ut Aeschinem, qui in oratione de corona ita loquitur. Νῦν δὲ ἐκεῖνοι μὲν, μεγάλων κακῶν συμβάντων, ἔσωσαν τὴν πόλιν, τὸ κάλλιστον ἐκ παιδείας ῥῆμα φθεγξάμενοι, μὴ μνησικακεῖν. Quin & Aristophanes eodem respexit hoc uersu:

Μὴ μνησικακήσῃς εἰ σὺ φυλὴν κατέλαβες.

Sed quid coniecturis, ut in re dubia, utimur? triplex iusiurandum fuit, quo se, compositis rebus, obstrinxerunt Athenienses. unum commune totius ciuitatis, quod in hæc uerba conceptum est. Οὐ μνησικακήσω τῶν πολιτῶν οὐδενί, πλὴν τῶν τριάκοντα, καὶ τῶν ἕνδεκα, οὐδὲ τούτων ὅς ἂν ἐθέλοι δίκην διδόναι τῆς ἀρχῆς ἧς ἦρξεν. alterum senatus. Οὐ δέξομαι ἔνδειξιν, οὐδὲ ἀπαγωγὴν ἕνεκα τῶν πρότερον γεγενημένων, πλὴν τῶν φευγόντων. tertium eorum qui res iudicabant. Οὐ μνησικακήσω, οὐδὲ ἄλλο πείσομαι. ψηφιοῦμαι δὲ κατὰ τοὺς κειμένους νόμους. Hæc ita scripta sunt apud Andocidem in oratione de mysteriis.

Ciceronis ex oratione pro Deiotaro loci duo emendati. Cap. XVI.

SOLEO libenter ueteres libros, quicunque in manus meas incidunt euoluere: cuicuimodi tandem illi sint, & quocunque litterarum charactere exarati. quod enim Plinius de toto librorum genere dicere solebat, nullum esse tam malum, ex quo non caperetur aliquid fructus: id ego in his maxime uerum esse comperio. multos enim nanciscor mutilos, laceros, corruptos, euanescentibus litteris: tum, quod molestius est, descriptos ab hominibus imperitissimis, ideoq; ἕλκειν βρύοντας, ut in eis legendis incredibilis quædam molestia exhaurienda sit. sed non in multos incido, qui omni ex parte frustrentur opinionem meam. fere enim semper aliquid tamen lucelli facio. siue autem hæc constantia uocanda est, siue etiam quidam mentis error, (non enim, quominus quisque quo uolet nomine appellet, impedio) ita obstinato animo sum, nulla ut sit tanta erratorum multitudo, quæ me à legendo absterreat. neque mihi male operam collocasse uideor, cum ex illis difficultatibus, tanquam è salebris quibusdam, emersus, in recensione reperio, unum aut alterum boni alicuius scriptoris locum bidui triduiue labore purgatum esse. multi autem amici, qui me hoc morbo teneri sciunt, multas ad me scidas undecunque collectas mittunt. neque ego illa mihi ἀποβλητέα δῶρα esse duco. quin auide arripio quicquid offertur. & in hac inopia, ubi siligineus panis deest, cibario me, ut possum, tueor: beatos illos esse ducens, quibus amplæ illæ ac nobiles bibliothecæ patent, ubi tam laute, tam copiose, tam splendide pascere animos suos hoc genere epularum queunt. nos tenuiores uictitamus, ut possumus: neque inuidemus aliis fortunam suam: sed, ut eadem nobis quoque aliquando contingat, optamus. nũc cuius rei caussa susceptus hic à me sermo, & unde ortus sit, exequar. Habeo librum quendam, aut potius discerpti & dilacerati libri aliquot paginas, ipsas quoque ita male

le acceptas, ut alicubi canum ludibrium fuisse uideantur: in quibus hæc scripta sunt: pars orationis pro Marcello: tota fere pro Ligario: & pro Deiotaro fere dimidiata. Nuper igitur placuit ea omnia cum uulgatis libris conferre: itaq; feci. in duabus autem prioribus nihil admodum repperi, quod alicuius momenti uideretur. in ea quæ pro Deiotaro est, hæc, quæ subiiciam, non indigna, quæ notarentur, censui. Primum ergo ubi uulgo legitur. Cui tamen ipsi regi ueniam te daturum fuisse dicebas, si tum auxilia Pompeio, uel si etiam filium misisset, ipse tamen excusatione ætatis usus esset. in illis fragmentis elegantius, ni fallor, & uerius ita scriptum est. Cui tamen ipsi regi ueniam te daturum fuisse dicebas, si, cum auxilia Pompeio, uel etiam filium misisset, ipse tamen excusatione ætatis usus esset. Item hoc, quod non ad nitorem & elegantiam orationis, sed ad sententiam ipsam non mediocriter pertinet. In iis enim libris, quibus uulgo utimur, ita legimus. Ego mehercule C. Cæsar initio, cum est ad me ista caussa delata, Phidippum medicum, seruum regium, qui cum legatis missus esset, ab isto ipso adolescente existimaui esse corruptum: hac suspicione sum perculsus. medicum indicem subornabit, finget uidelicet aliquod crimen ueneni. at in illis ἑλωρίοις, (ita enim plane uocari possunt) multo sincerius multoq; emendatius, meo quidem iudicio, scriptum est. Ego mehercule C. Cæsar initio, cum est ad me ista caussa delata, Phidippum medicum, seruum regium, qui cum legatis missus esset, ab isto adolescente esse corruptum: hac suspicione sum percussus. medicum indicem subornauit? finget uidelicet aliquod crimen ueneni. Quæ scriptura quin plane integra & incorrupta sit, nemo dubitabit, qui locum illum paulo attentius considerauerit.

Illustratus

Illustratus locus ex oratione pro Cœlio. Cap. XVII.

In oratione pro Cœlio cum conatus esset M. Tullius impuram mulierem Clodiam in eam suspicionem adducere, ut qui aderant, ueneno ab ea sublatum Q. Metellum existimarent: hac postea amplificatione usus est. Ex hac igitur domo progressa ista mulier, de ueneni celeritate dicere audebit? nonne ipsam domum metuet, ne quam uocem eliciat? non parietes conscios, non noctem illam funestam, ac luctuosam perhorrescet? Suspicor autem, ubi, eliciat, legitur, eiiciat, legi debere. significat enim, hoc ipsum metuere debere Clodiam, ne uocem ipsa domus tam impii facinoris conscia emittat. eliciendi autem uerbum, ad hoc indicandum, non nimis aptum uidetur. Euripidis etiam uersibus quibusdam ex Hippolyto coronato hanc cõiecturam non nihil adiuuari puto: è quibus totus ille locus manifesto expressus est. sunt autem hi.

Οὐδὲ σκότον φρίσσουσι τὸν ξυνεργάτην,
Τέρεμνά τ' οἴκων, μή ποτε φθογγὴν ἀφῇ; id est.
Neque tenebras noctis perhorrent conscię,
Neque, ipsa ne quando eiiciat uocem domus?

loquitur autem ibi Phædra de mulieribus, quæ se pudicas esse simulant, cum tamẽ clanculum libidini seruiant: quas miratur prodire audere in conspectũ uirorum: neque timere, ne à nocte ipsa, & à domo conscia indicentur.

Cicero in oratione pro Sylla, locum quendam Demosthenis imitatus ostenditur. Cap. XVIII.

Videtur Cicero duobus ex oratione pro Sylla locis Demosthenicum quendam adumbrasse: qua in parte excusat se, quòd in reo defendendo multa de seipso dicere cogatur: cuius sermonis impositam sibi esse dicit ab accusatore necessitatem. nam & Demosthenes idem in defendendo Ctesiphonte dixerat: quem quomodo latinus orator

sit imitatus, ut appareat, utriusque uerba describam. Ita igitur Demosthenes. Εἰ μὲν οὖν περὶ ὧν ἐδίωκε μόνον κατηγόρησεν Αἰσχίνης, κἀγὼ περὶ αὐτῆς τῆς προβολῆς ἀδυνατοίμην. ἐπειδὴ δὲ ἐκ ἐλάττω λόγον, τἄλλα διεξιών, ἀνάλωκε, καὶ τὰ πλεῖστα κατέψευσατό μου, ἀναγκαῖον εἶναι νομίζω καὶ δίκαιον ἅμα, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, περὶ τούτων πρῶτον εἰπεῖν. Cicero autem. Et quoniam L. „ Torquatus, meus familiaris ac necessarius, iudices, existi „ mauit, si nostram in accusatione sua necessitudinem fami „ liaritatemq; uiolasset, aliquid se de auctoritate meæ defen „ sionis posse detrahere, cum huius periculi propulsatione „ coniungam defensionem officii mei. Post autem etiam a- „ pertius. Nam si Torquatus Syllam solum accusasset, ego „ quoque hoc tempore nihil aliud agerem, nisi eum, qui ac- „ cusatus esset, defenderem. sed cum ille tota oratione in „ me esset inuectus, & cum, ut initio dixi, defensionem meã „ auctoritate spoliare uoluisset, etiam si dolor meus respon „ dere non cogeret, tamen ipsa caussa hanc à me orationem „ flagitasset.

Alius Ciceronis locus è Demosthene expressus. Cap. XIX.

SVMPTVM ex eadem illa Demosthenis oratione uidetur & id, quod in secunda Philippica scriptum est. Vt igitur in „ seminibus est caussa arborum & stirpium: sic huius luctuo- „ sissimi belli semen tu fuisti. Nam & ille cum Aeschinem o- mnibus calamitatibus, quibus Athenienses conflictati e- rant, caussam præbuisse dixisset, ita id confirmauit. Ὁ γὰρ τὸ σπέρμα παραχὼν, οὗτος τῶν φυτῶν κακῶν αἴτιος.

Theocriti ἀδωνιαζούσαις correctus & explicatus locus. Cap. XX.

NON puto me rem studiosis ingratam facturum fore, quanquam hic latinorum præcipue scriptorum caussa susceptus à me labor est, si non nunquam etiam Græcis opis aliquid afferre coner. iampridē enim persuasum esse existimo omnibus

nibus qui uersantur in litteris, sine Græci sermonis cogni tione mancam omnem ac mutilam esse doctrinam, & qui eius expertes sint, ab eis ne latine quidem scripta penitus percipi. nunc igitur Theocriti uersus quosdam, quos ne- que satis emendate scriptos circumferri, neque satis intel ligi arbitror, quomodo scribendi, quoque modo accipiē di uideantur, aperiam. sed primum eos describam ita, ut leguntur.

Γ. Μᾶ πόθεν ὤνθρωπος; τίδε τὶν εἰ κωτίλαι εἰμές;
Παυσάμενος ἐπίταυε. συρακοσίαις ἐπιτάυεις,
Ὡς εἰδῆς καὶ τῦτο. κορίνθιαι εἰμὲς ἄνωθεν,
Ὡς καὶ ὁ Βελλεροφὼν, πελοποννασιστὶ λαλεῦμες.
Δωρίσδεν δ' ἔξεσι, δοκῶ, τοῖς Δωριέεσι.
Π. Μὴ φυῖ μελιτῶδες, ὃς ἀμῶν καρτερὸς εἴη,
Πλὰν ἐνὸς. ἐκ ἀλέγω μή μοι κενεὰν ἀπομάξης.

Inducuntur autem ibi duæ mulieres Syracusanæ, Gorgo & Praxinoa, quæ profectæ ad spectandam pompam sacro- rum Adonidis, cum, qui mos mulierum est, assidue gar- rientes, implerent omnia strepitu, & aures eorum, qui prope erant, obtunderent, offensus tanta earum garruli- tate hospes quidam, illamq; ferre amplius non ualens, sub- contumeliose imperauit eis, ut tacerent. Tum indignata Gorgo, quæso, inquit, quid hoc tãdem hominis est? quid uero tua refert, si garrulis esse nobis libet? addit deinde: Παυσάμενος ἐπίταυε. ubi legendum censeo, πασάμενος, non, παυσάμενος. neque uero parum interest. nam πάσασθαι prima syllaba breui, est γεύσασθαι. ex quo poetæ, cum eam syllā- bam producere uolunt, faciunt πάυασθαι. at πάσασθαι prima longa, est κτήσασθαι. unde est πολυπάμμων. estq; ea uox Do- rum propria. erit igitur πασάμενος, κτησάμενος. atque hoc di cet Gorgo hospiti: Impera ancillis tuis. ἐπίταυε αἷς κέκτη- σαι. nobis enim cum imperas, scito te Syracusanis impe- rare: ne forte nos uiles aliquas & abiectas esse feminas pu tes. Corinthiæ sumus à prima origine, non minus quàm Bellerophon. Postremo, quoniam hospes reprehenderat eas, tanquam πλατειασδοίσας, id est, lato & diducto ore pro- nunciantes: (erat enim Dorũ in Græcia eadem fere pro-

 nunciatio,

nunciatio, quæ in Italia Bergomatium) iccirco addit, se ita loqui, ut in Peloponneso loquerentur: ceterum non putare, caussam esse ullam, cur non Doribus Dorice pronunciare fas esset. In iis autem duobus uersibus, qui postea dicuntur à Praxinoa, mihi quidem tenebræ sunt. Nam quod scholiastes ait, μελιτῶδες uocari Persephonen, uix credibile uidetur. quando tamen nihil melius occurrit, dicemus eam optare à Persephone, quæ partubus præest, ne quis unquam nascatur, qui in ipsas imperium exerceat. addit autem, præter unum: quoniam alioqui male precari uideretur reginæ, & optare, ne quis unquam ex ipsa filius nasceretur. Iam quod sequitur, κἀκ ἀλέγω, μήμοι κενεὰν ἀπομάξῃς, quam sententiam habere uoluerit scholiastes, ipse uiderit, cum illa sua præclara expositione: Μήμοι κενεὰν ἀπομάξῃς. μή μοι κενὸν τὸ μέτρον ἀποψήσῃς. & ille alter, qui ita reddidit:

Non metuo, ne mensura tibi ludar inani.

ego non dubito, quin pro κενεὰν, legendum sit, κονίαν: ut hoc mulier dicat: Non uereor, ne in me puluerem abstergeas: id est, ne me impune contemptam ac despicatam habeas. esset enim extremi contemptus signum, si quis puluerem è calceis, aut è ueste sua, ludibrii caussa, abstergere in alios uellet. sed & in illo uersu, qui paulo infra est,

Ἄτις καὶ Σπέρχιν τὸν Ἰάλεμον ἠρίσευσε,

pro Ἰάλεμον, legendum crediderim, Ἰαλέμα.

M. ANTONII MVRETI
AD HIPPOLYTVM ESTENSEM
S. R. E. CARDINALEM
ILLVSTRISSIMVM,
VARIARVM LECTIONVM
LIBER TERTIVS.

De quorundam admirabili memoria.
Cap. 1.

HIPPIAS apud Platonem, tanquam de magno quodam & præstanti bono gloriatur, posse se quinquaginta nomina semel tantum audita recitare. at hoc nihil est, præut quæ de se Seneca scribit: cuius hæc sunt è libro primo declamationum. Sed cum multa iam mihi ex me desideranda „ senectus fecerit, oculorum aciem retuderit, aurium sen„ sum hebetauerit, neruorum firmitatem fatigauerit: inter „ ea, quæ retuli, memoria est, res ex omnibus partibus ani„ mi maxime delicata & fragilis, in quam primum senectus „ incurrit. Hanc aliquando in me floruisse, ut non tantum „ ad usum sufficeret, sed in miraculum usque procederet, „ non nego. Nam duo millia nominum recitata, quo ordi„ ne erant dicta, referebam: & ab iis, qui ad audiendum præ„ ceptorem nostrum conuenerant, singulos uersus à singu„ lis datos, cum plures quàm ducenti efficerentur, ab ulti„ mo incipiens usque ad primum, recitabam. nec ad com„ plectenda tantum quæ uellem, uelox erat mihi memoria, „ sed etiam ad continenda quæ acceperat. Hæc Seneca: quæ semper mihi mirabilia, ac, prope dixerim, incredibilia ui sa erant, donec uidi ipse, quod nunquam credidissem. Habitabat Patauii in uicinia mea homo adolescens, genere Torsicus, honesto, ut ferebatur, & credibile erat, apud suos loco natus, qui eò uenerat ad ius ciuile discendum: quo

quo in ſtudio ita diligenter & attente annos aliquot conſumpſerat, ut magna iam eſſet de doctrina illius hominum opinio. Ventitabat autem fere quotidie in ædes meas, deuexo iam & inclinato ſole, æſtas enim erat: ibiq́; , quòd ædes ſatis amplæ erant, ſatisq́; apricæ, aut ſub dio ambulãs, & cum æqualibus ſuis iucundiſsime colloquens, aut ſaltu, aut lucta, aut trigonali pila corpus exercens, feſſas ſtudiorum laboribus uires honeſtiſsime reficiebat. rumor erat, tenere eum artem quandam memoriæ: cuius auxilio multa efficeret, quæ credi, niſi ſpectata, non poſſent. is cum ad aures meas perlatus eſſet, cupido me inceſsit mirabilia illa & inaudita ſpectandi. eiuſmodi enim in rebus minime omnium auditis credulus eſſe ſoleo. uiſum eſt igitur, quando ipſe domo mea abitratu ſuo uteretur, hoc ab eo quaſi ἐνοίκιον exigere, ut, quod ſibi commodum foret, præſente me, artis ſuæ ſpecimen aliquod daret. ille nihil grauatus, lubentiſsimo animo ſe, cum uellem, facturum eſſe reſpondit. placuit, ſtatim. cum per ipſum mora non eſſet, una omnes qui aderamus, in proximum cubiculum ingreſsi, conſedimus. cœpi ego dictare nomina latina, græca, barbara, ſignificantia, nihil ſignificantia, tam uaria, tam nihil inter ſe cohærentia, tam multa, ut & ego dictando, & puer, cui mandatum erat, ut ea exciperet, ſcribendo, & ceteri qui aderant, audiendo atque expectando, feſsi iam miris modis eſſemus omnes. ipſe unus ex omni numero alacer ac recens, aſsidue plura poſcebat. Sed cum ego ipſe modum aliquem fieri oportere dixiſſem, abunde mihi ſatisfactum iri, ſi uel dimidiam partem eorum, quæ dicta erant, recitare potuiſſet: tum ille, fixo ad terram obtutu, magna noſtra omnium expectatione, tacitus aliquandiu ſtetit. quid uerbis opus eſt? uidi facinus, ut ille ait, mirificiſsimum. ὁ δαιμόνιος ἐκεῖνος exorſus loqui, plane omnia, eodem ordine, nuſquam prope inſiſtens, nuſquam hæſitans, nobis ſtupentibus, reddidit. deinde ab ultimo incipiens, ſurſum uerſus peruenit ad primum. rurſus ita, ut primum, tertium, quintum, ac ſic deinceps omnia diceret. quo denique quiſque uoluerat ordine, ſine ullo erro-

re

re omnia referebat. idem poſtea, cum ei iam familiarior factus eſſem, ſæpe expertus, uſquequaque uerum deprehendi. ipſe mihi aliquando affirmauit, & erat ab omni iactantia alieniſsimus, ſe triginta ſex millia nominum eo modo recitare poſſe. Quodq́; admirabilius eſt, ita hærebant omnia in animo, ut uel poſt annum diceret, ſe quæcunque memoriæ commendaſſet, minimo negocio repetiturum. ego certe poſt multos dies facto periculo, uerum comperi. Neque hoc ſatis. Diuerſabatur apud me Franciſcus Molinus, patricius Venetus, adoleſcens optimarum artium ſtudiis mirifice deditus, qui cum ſe memoria parum firma eſſe ſentiret, orauit hominem, uti ſe artem illam doceret. uix oſtenderat, ſe id uelle: cum Corſicus operam ei ſuam prolixiſsime detulit. dictus eſt locus, dicta hora, ad quam cotidie conuenirent. nondum ſex aut ſeptẽ diis abierant, cum ille quoque alter nomina amplius quingenta ſine ulla difficultate, aut eodem, aut quocunque alio libuiſſet, ordine repetebat. Hæc ego uix auderem litteris prodere, mendacii ſuſpicionem reuerens, niſi & res adhuc recens eſſet, (nondum enim annus eſt) & Nicolaum Lippomanum Petri Alexandri filium, Lazarum Mocenicum Franciſci filium, Ioannem Malipetrum Nicolai filium, Georgium Contarenum Laurentii filium, patricios Venetos, optimos & nobiliſsimos adoleſcentes, aliosq́; præterea innumerabiles eius rei teſtes haberem. à quibus, ſi mentirer, uanitatem meam coargui nollem. artem uero illam Corſicus accepiſſe ſe dicebat ab homine Gallo, quo puer domeſtico præceptore uſus eſſet. Huic ego ne ex antiquitate quidem, quem opponam, habeo: niſi forte Cyrum, quem, Plinius, Quinctilianus, & alii latini ſcriptores tradiderunt, tenuiſſe omnium militum nomina. Sed hoc, ut uerum fatear, ſemper ueritus ſum, quàm conſiderate atque explorate tradidiſſent. Xenophon enim, à quo illi uel uno, uel præcipue, quæ de Cyro dicebant, accipere potuerunt, iſtud tam incredibile non dicit: ſed tantum eum tenuiſſe nomina τῶν ὑφ' αὑτὸν ἡγεμόνων. quod ut in imperatore laudabile eſt, ita non excedit fidem. Locus, ſi quis requirit,

quirit, est libro quinto παιδείας. Fieri autem potest, ut latinorum aliquis, qui locum illum Xenophontis male accepisset, alios postea auctoritate sua in errorem induxerit. hoc enim non semel nouimus contigisse. sed tamen hac de re nihil affirmo. Non erit alienum, ut puto, ascribere hoc loco distichon, quo Simonides, qui eius, de qua locuti sumus, artis pater fuisse traditur, iam octogenarius gloriatus est, neminem sibi memoria parem esse.

Μνήμην δ' ἅτινά φημι Σιμωνίδη ἰσοφαρίζειν
Οὐδοηκονταετεῖ παιδὶ Λεωπρεπέος.

Sublata menda, quæ inhæserat in Euripideo uersu apud Porphyrium. Item de formæ dignitate quædam non indigna cognitu. Cap. II.

CVM Porphyrii libellus de quinque uocibus, quo uia muniri putatur ad totum illud corpus librorum Aristotelis, quod ὄργανον uocant, teratur cotidie omnium manibus, mirum est tam diu in eo insedisse mendum quoddam, quod nunc indicabo. etsi enim non est eiusmodi, ut cuiquam errorem possit obiicere: tamen in bonis libris ut ne qua uel minima macula insit, opera danda est. Porphyrius, ut probet, εἶδος usitate dici de forma corporis ea, quæ sub aspectum cadit, ex qua formosi aut deformes nominantur, citat hunc Euripidi uersum:

Πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυραννίδος.

ita enim uulgo legitur: cum tamen non ἄξιον, sed ἀξίους legi debeat. siquidem erant hæc uerba apud Euripidem cuiuspiam optantis uidere è filiis, ut opinor, suis maribus procreatos mares, qui primum quidem ea forma essent, in qua inesset regalis quædam dignitas, deinde aliis etiam bonis excellerent. hoc cognoscere est de Stobæo, apud quem ἐν τῷ ὑπὲρ κάλλους λόγῳ hæc scripta sunt.

Ἰδοιμι δ' αὐτῶν ἔκγον' ἄρρεν' ἀρρένων,
Πρῶτον μὲν εἶδος ἀξίους τυραννίδος.

Πλείστη

Πλείστη γὰρ ἀρετὴ τῆδ' ὑπάρχον ἐν βίῳ,
Τὴν ἀξίωσιν τῶν καλῶν τὸ σῶμ' ἔχειν.

Vt autem Euripides quandam formam esse uoluit quæ regium quiddam haberet: ita Plautus: qui eam etiam formam regiam dixit.

Sed ubi Artotroguſt? Hic est. stat propter uirum
Fortem atque fortunatum, & forma regia.

Xenophon quoque iu conuiuio ait, φύσει βασιλικόν τι τὸ καλλος εἶναι. Aristoteles primo politicon affirmat, si qui reperirentur ea corporis pulchritudine, quam in deorum statuis cernimus, neminem dubitaturum, quin eos aliis omnibus imperare oporteret. Idemq; libro quarto & libro septimo ait, Aethiopas & Indos in mandandis imperiis, proceritatis ac pulchritudinis habere rationem. & notum est, multatum à Lacedæmoniis Archidamum regem, quod exiguam duxisset uxorem. querebantur enim, non reges, sed regulos sibi procreatum iri.

Locus Terentii è Phormione illustratus. Cap. III.

ITA scripti leguntur in omnibus libris hi uersus è Terentii Phormione.

Ph. Immo uero tu uxorem cedo. De. In ius ambula.
Ph. In ius? enimuero si porro esse odiosi pergitis.

ego autem in scholiis quibus non nullos eius poetæ locos illustraui, fassus sum, mihi non satis constare, quid de illo, in ius, facerem. nam & non inuenustam esse illam repetitionem, & confirmari auctoritate librorum ueterum, & tamen uersum, ea recepta, uno pede, quàm deceret, fieri longiorem. postea autem mihi uenit in mentem, solitos esse olim histriones talia quædam de suo in recitandis fabulis addere: ut oratio quotidianæ similior uideretur: id quod & Demetrius in libello περὶ ἑρμηνείας prodidit: & multa eius rei uestigia in Euripidis fabulis reperiuntur. quorum aliquot hoc loco proponam: ut, quod dico, clarius ab omnibus perspici queat. Ita ergo loquitur Polydorus

dorus in Hecuba.

Φεῦ. ὦ μῆτερ ἥτις ἐκ τυραννικῶν δόμων,

ubi illud φεῦ, extra uersum est, ab histrione additum. & in eadem Agamemnon.

Εἆ. Πολυμῆχορ ὦ δύσανε, τίς σ' ἀπώλεσεν;

& Clytemnestra in Iphigenia in Aulide.

& Medea. Φεῦ. πῶς ἄν σ' ἐπαινέσαιμι μὴ λίαν λόγοις;
Εἶεν. καὶ δὴ τεθνᾶσι τἀς με δέξεται πόλις;

Sed talia multa colligere, nihil negocii fuerit. Vt ergo illa φεῦ, ἔα, εἶεν, sunt extra uersum: sic & illud, In ius? eiusdem generis esse apud Terentium puto.

Duo genera loquendi, quibus latini poetæ utuntur, à Græcis accepta esse. Cap. IIII.

VIRTVTEM Catonis pro Catone ipso dixit Horatius in hoc uersu,

Narratur & magni Catonis
Sæpe mero caluisse uirtus.

& alibi quoque eodem genere loquendi usus est.

Virtus Scipiadæ, & mitis sapientia Læli.

Dictum autem id est ad Græcorum poetarum consuetudinem, qui βίην ἡρακληείην, & βίην ἰφικληείην pro Hercule & Iphiclo dicunt, ad eundemq; modum alia multa: quod & alii notarunt, & Plutarchus in libro aduersus Coloten. sed & eiusdem generis est, quòd Turni corpus pro ipso Turno Virgilius dixit.

= quo pulchrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.

ita enim & Euripides. Ἐγὼ τὸ μὲν σὸν σῶμ' ὑφ' οὗπερ ἠυτύχουν,
Σώζειν ἕτοιμός εἰμι. & alibi.
Ἀλλ' εἰσορῶ γὰρ τἄδε δεσπότου δέμας
Ἀγαμέμνονος.

& in Phœnisis, σὸν δέμας ἀπρώμενος. ut ergo illi Græca dicendi genera exprimebant, ita facere oporteret eos, qui sermonis temporibus poetas perhiberi uolunt.

Aeris

Aeris Corinthii temperatura quomodo inuenta. Cap. V.

SVPER ære Corinthio, quænam illius origo fuerit, uaria tradita sunt ab antiquis. Plinius casu mistum esse ait, Corintho, cum caperetur, incensa. L. quoque Florus eandem sententiam sequitur, à quo ita hac de re scriptum est. Aeris notam preciosiorem ipsa opulentissimæ urbis fecit iniuria: quia incendio perustis plurimis statuis, atque simulacris, æris, auri, argentiq; uenæ in commune fluxere. At alii, unam modo antiquis temporibus domum Corinthi arsisse dicunt, in qua cum auri, argentiq; non nihil inesset, æris autem magna uis: commista illa, & in eandem cõfusa massam, ex eo metallo, cuius maior inerat pars, Corinthii æris nomen acceperint. Alii etiam, quod propius ad ueri similitudinem accedere uidetur, narrant, æratiũ quendam fabrum Corinthi fuisse, qui cum incidisset in thecam auri plenam, eamq; sibi abstulisset, ne id resciretur, metuens, dissectum in minutas particulas aurum paulatim æri admiscuerit, admirabilemq; illam temperaturam effecerit, qua magnas sibi opes postea comparauit.

Indicata uetus scriptura duum locorum è libro secundo de Diuinatione. Cap. VI.

BENE & emendate scriptus erat in ueteri us libbris locus
„ hic è secundo de Diuinatione. Ad nostri augurii consue-
„ tudinem dixit Ennius:
„ Quom tonuit læuum bene tempestate serena.
„ At Homericus Vlysses apud Achillem querens de ferocitate Troianorum, nescio quid hoc modo nunciat:
„ Prospera Iuppiter his dextris fulgoribus edit.
atque ita eum legit Petrus Marsus: indicatq;, uersum esse sumptum ex Iliados nono. ut ualde mirer, quæ fuerit eorum audacia, qui Aiacem postea pro Vlysse scripserunt. Nã quod Victorius credidit esse μνημονικὸν Ciceronis ἁμάρ-

τημα, non uiderat uidelicet ueteres libros, neque commẽ tarium Marfi. Quem fi legiſſet, cognouiſſet etiam, ſe non ualde neceſſariam operam ſumere in emendando quodam loco è primo eorundem librorum: ubi de Iamidarum familia mentio eſt. eum enim Marſus & probe ac incorrupte ſcriptum repererat, & erudite interpretatus erat, adducto eo ipſo Pindari loco, quem adduxit poſtea Victorius. Iniquum autem puto, quenquã ſua laude fraudari: ideoq; uerum harum emendationum auctorem indicaui. neque dubito, quin Victorius ipſe, quem ut inſigniter eruditum eſſe uideo, ita inſigniter probum & plane ingenuum eſſe audio, ſi & hæc, & alia quædam, quæ ut noua profert, ab aliis notata ſciuiſſet, aut non attigiſſet, aut ſuis auctoribus accepta retuliſſet. quod idem mihi etiam de aliis quibuſdam eruditiſsimis hominibus facile perſuadeo. Elegantem enim & liberalem doctrinam liberalis etiam natura plerunque comitatur.

Cur Tibullus porcum hoſtiam myſticam dixerit. Cap. VII.

NON ſatis, quod ſciam, à quoquam explicatum eſt, cur Tibullus porcum hoſtiam myſticam uocauerit, eo uerſu,

Hoſtiaq; è plena myſtica porcus hara.

quinetiam eius rei ignoratione, in quibuſdam libris è myſtica factum eſt, ruſtica. ſciendum autem eſt, in iis Cereris ſacris, quæ myſteria dicebantur, eam conſuetudinem fuiſſe, ut quiſque pro ſe Cereri porco faceret. ſeu quòd animal illud infeſtum Cereri crederent: quia ſemina pando, utait Ouidius, eruiſſet roſtro, anniq; ſpem intercepiſſet: ob idq; deam eius cæde gaudere crederent: ſeu quòd è ſuillo roſtro arandæ & inuertendæ terræ ratio primum accepta eſſet. nam id quoque multi prodiderunt. neque ſane ſatis conuenit inter antiquos ſcriptores, de cauſsis, ob quas hoc aut illud animal huic aut illi deo immolaretur. alii enim, quod cuique deo gratiſsimum eſſet, id ad illius aras mactari ſolitum aiunt. itaque equus Martis erat hoſtia.

ſtia. & quòd aper Adonin interfeciſſet, apro Veneri rem diuinam fieri nefas erat. alii, quod quiſque deus odiſſet, eius potiſsime illum cæde oblectari putabant. itaque Noctui ſacrificabatur gallus gallinaceus: quòd cantu ſuo diem prouocare, noctem fugare uideretur. capra Palladi: quòd oleam inſigniter læderet. Sed utra de cauſſa porcus Cereri caderet: illud certe obſeruabatur, ut & præpinguis eſſet, & nulla ſui parte mancus ac mutilus. quod etiam uniuerſe in toto uictimarum genere ſeruabant. ergo porcos myſticos aut myſtericos uocabant, qui pinguiſsimi, & integerrimi eſſent. Plautus ſinceros ſacres uocat. quare Megarenſis ille Ariſtophaneus, qui filias ſuas pro porcis uendere cuperet, iubet eis, ut ſaccum ingreſſæ ita grunniant, ut porci myſterici eſſe uideantur.

Κ' ἤπειτεν ἐς τὸν σάκκον ὦδ' ἐσβαίνετε.
Ὅπως δὲ γρυλλιξεῖτε καὶ κοἴξετε,
Χ' ἡσεῖτε φωνὰν χοιρίων μυςηρικῶν.

& paulo poſt interrogatus à Dicæopoli, quid ferret, porcas ſe myſticas ferre reſpondet.

Δι. τι δαὶ φέρεις; Με. χοίρας ἐγώ γα μυςικάς.

C. Verres qua ex gente fuerit. emendatus locus è libro quarto accuſationis. Cap. VIII.

ORIVNDVM è gente Cornelia fuiſſe C. Verrem, à quibuſdam Romanarum antiquitatum peritiſsimis hominibus traditum eſt: quod tamen mihi perſuaderi non poteſt. nix enim ueriſimile uidetur, è tam illuſtri gente ortum eũ, cuius pater fur ac diuiſor fuiſſe dicatur. ſed & illud non immerito miretur aliquis: hoc, quod iſti uolunt, poſito, cur nuſquam eum Cicero gentis nomine appellauerit: preſertim cum illud ipſum iudicium lege Cornelia exerceretur. non enim obſcurum eſt, ex eo ſententiam quampiam aptam & accommodatam ad exaſperandos iudicum animos, facile potuiſſe duci. ſunt & alia non pauca, quæ mihi quidem uidentur aliquid iuſtæ admirationis habitura, ſi

Cornelium

Cornelium eum fuisse fateamur. nituntur autem, qui hoc dicunt, argumento, quod sciam, unico. aiunt enim libertum quendam Verris à Cicerone Cornelium Haruspicem uocari. Sed ego cum omnes accusationis libros & sæpe & diligenter euoluerim, uideor affirmare posse, nullam in eis esse istius Cornelii mentionẽ. ipsi igitur uiderint. Cornelius quidem Verris lictor libro primo accusationis nominatur. Sed quid ad Verris gentem ea res pertinet? Fieri ergo potest, ut fallar: nunquam enim harum rerum ualde diligens indagator fui: non equidem quo eas contemnam, ac despiciam: sed quòd diffidam parem esse me posse perferendo labori, quem uideo capiendum esse iis, qui subtiliter talia perscrutari uolunt: & alioqui suo quisque studio ducitur. quare, ut ante dixi, fieri potest, ut fallar: sed tamen existimo, ipsum Verris nomen gentilicium esse. Hoc arbitror colligi posse è fine libri secundi, ubi de illa tabularum corruptione sermo est, in quibus Verres se pro Verre Verrutium fecerat. nam si in illis ita scriptum fuisset, C. Cornelius Verres, non sane oportuerat, ex Verre fecisse Verrutium. neque procederent illa, quæ
„ à Cicerone urbanissime dicta sunt. Respondè mihi nũc tu
„ Verres, quem esse hunc tuum pene gentilem Verrutium
„ putes. nam nominis cum cognomine similitudo nihil ad gentilitatem pertinet. Alium locum proferam, qui hoc quod dico, ita manifesto confirmet, ut uix ullum dubitationi locum relictum iri putem. atque hunc eo recitabo libentius, quòd & in uulgatis libris corrupte legitur, & quidam emendare conati, magis etiam corruperunt.
„ Ita igitur Cicero libro quarto accusationis. Ridiculum
„ est nunc de Verre me dicere, cum de Pisone Frugi dixe-
„ rim. uerumtamen, quantum interfit, uidete. Iste cum ali
„ quot abacorũ faceret uasa aurea, non laborauit, quid non
„ modo in Sicilia, uerumetiam Romæ in iudicio audiret. il-
„ le in auri semuncia totam Hispaniã scire uoluit, unde prætori annulus fieret. nimirum ut hic nomen suum comprobauit, sic ille cognomen. Nunquam, ut opinor, ita locutus esset Cicero, si & Verres, & Piso cognomina fuissent.

Correctus

Correctus Plauti locus è Milite glorioso. Cap. IX.

Apvd Plautum in Milite glorioso ita uulgo leguntur hi uersus.

Nam ego hanc machæram mihi consolari uolo,
Ne lamentetur, ne ue animum despondeat,
Quia se iampridem feriatam gestitem,
Quæ misera gestit fractum facere ex hostibus.

Cum autem illud, fractum facere, deprauatum esse, liquido constaret, homo eruditissimus, cuius labore & industria Plautinæ fabulæ plurimis sane locis emendatiores leguntur, scribendum eo loco censuit, fratrem facere. &, quoniam fratres interdum à Græcis ὅμαιμοι dicuntur, qua in uoce eiusdem sanguinis significatio est, iccirco hoc militem dicere credidit, cupere machæram, tingi hostiũ sanguine. quod si reciperem, fratres tamen potius legerem, quàm fratrem: ne perturbata numeris esset oratio. sed suum cuique, ut dicitur. mihi displicere nondum potest ea coniectura, quam, cum adolescentulus in Gallia Plauti nas fabulas explicarem, iamdudum de hoc loco feceram. farctum enim legendum admonueram, ubi uulgo legitur fractum. atque ea uoce farcimen, ut isitium, aut eius generis aliquid, credideram indicari. ut, quoniam tales cibi è carnibus minutissime dissectis confici solent, diceretur machæra gestire hostes ita minutatim concidere, ut ex eis farcimen fieri posset.

Quæ se facturos iurauerint Græci cum Xerxis copiis congressuri. Cap. X.

Praeclarvm sane & magni animi plenum est iusiurandum illud, quo se obstrinxerunt Græci omnes cum aduersus copias Xerxis dimicaturi essent. id autem in hæc uerba conceptum est. Vitam libertate pluris non faciam. neque deseram imperatores, neque uiuos, neque mortuos.

sed

sed eos è sociis, qui in prœlio occubuerint, omnes sepeliam: &, ubi bello uictor extitero, etiam barbaros. ex iis ciuitatibus, quæ pro Græcia pugnauerint, nullam deuastabo. quæ barbari partes sequi maluerunt, omnes decimabo. fanorum quæ à barbaris incensa & diruta sunt, nullum omnino excitabo. sed sinam, impietatis barbaricæ extet in omni posteritate monimentum. Ascribam & Græca, si quis ea forte cognoscere cupiat. Οὐ ποιήσομαι περὶ πλείονος τὸ ζῆν τῆς ἐλευθερίας. οὐδὲ καταλείψω τοὺς ἡγεμόνας, οὔτε ζῶντας, οὔτε ἀποθανόντας. ἀλλὰ τοὺς ἐν τῇ μάχῃ τελευτήσαντας τῶν συμμάχων ἅπαντας θάψω, καὶ κρατήσας τῷ πολέμῳ, τοὺς βαρβάρους. τῶν μὲν μαχεσαμένων ὑπὲρ τῆς ἑλλάδος πόλεων οὐδεμίαν ἀνάστατον ποιήσω. τοὺς δὲ τὰ τῶν βαρβάρων προελομένους ἁπάσας δεκατεύσω. καὶ τῶν ἱερῶν τῶν ἐμπρησθέντων καὶ καταβληθέντων ὑπὸ τῶν βαρβάρων οὐδὲν ἀνοικοδομήσω παντάπασιν. ἀλλ' ὑπόμνημα τοῖς ἐπιγινομένοις ἐάσω καταλείπεσθαι τῆς τῶν βαρβάρων ἀσεβείας.

Locutio quædam, quæ Euripidis esse credebatur, reiecta: & ipsius poetæ emendatus locus. Cap. XI.

TRADITVM est à quibusdam, & quidem iis in libris, qui clarissimi, & utriusque linguæ intelligentia præcellentissimi uiri Gulielmi Budæi nomen præseferunt, καλλίνικον φέρεσθαι apud Euripidem legi, pro eo quod est, uictoriam repor tare. ego autem, qui poeta illo singulariter oblectatus sum, plurimumq; studii in eius fabulis posui, præstare autsim, nusquam id loquendi genus apud ipsum reperiri: sed eos ita putasse, inductos in errorem, his è Medea uersibus.

Δεινὴ γάρ. ἆλοι ῥᾳδίως γε συμβαλὼν
Ἐχθραν τις αὐτῇ, καλλίνικον ὄισεται.

cum tamen ibi legendum sit, ἄσεται, non ὄισεται. est enim καλλίνικος genus cantilenæ, quod canebatur uictoribus, quos etiam honoris caussa καλλινίκους appellabant: ut, Io pæan, aut, Io triumphe. idq; diserte tradidit Athenæus libro XIIII. tripudiantes autem eam cantilenam canebant.

unde

unde apud eundem poetam in Hercule furente,

Τὸν καλλίνικον μετὰ θεῶν ἐκώμασεν.

ait igitur nutrix, non facile fore, ut pæana canat, qui cum Medea inimicitias susceperit. ne quis autem dubitet, quin ita, ut dixi, legendum sit, proferam alium locum similem ex eodem poeta, eaq;, quam proxime nominaui, fabula, ubi senum chorus se ait Herculi reduci καλλίνικον canere uelle. Versus hi sunt.

Ἔτι τὰν Ἡρακλέους
Καλλίνικον ἀείσω.

& in Electra: Ἀλλ' ἐπάειδε καλλίνικον ᾠδὰν ἐμῷ χορῷ.

Atticum loquendi genus, quod imperiti ex Euripidis Hecuba sustulerant, restitutum. Cap. XII.

APVD Euripidem Hecuba, uersus hi sunt Vlysis Hecubam alloquentis.

Οἶσθ' ἔν ὁ δράσεις; μήτ' ἀποπαιδῆς ἔτι,
Μήτ' εἰς χερῶν ἄμιλλαν ἐξέλθῃς ἐμοί.

in quorum priore erratum est ab iis, qui Atticæ linguæ imperiti essent. non enim scribendū erat, οἶσθ' ἔν ὁ δρᾶσον; sed, οἶσθ' ἔν ὁ δράσεις; quod ualet quidem plane idem cum illo superiori: sed uenustius, & ἀπλικώτερον dicitur. Itaque scholiastes quoque ita legit: & simile exemplum è Menandro citat.

Οἶσθ' ὅ, τι ποίησον;

Ego autem sæpe admodum Euripidem ita locutum annotaui. ut Iphigenia in Aulide:

Οἶσθ' ἔν ὁ δρᾶσον ὦ γυναῖ; πιθοῦ δέ μοι.

& in Helena:

Οἶσθ' ἔν ὁ δρᾶσον; τῶν πάρος λαθοίμεθα.

& in Ione:

Οἶσθ' ἔν ὁ δρᾶσον; χειρὸς ἐξ ἐμῆς λαβὼν
χρύσωμ' Ἀθάνας, &c cetera. sed & alii Attici eodem modo locuti reperiuntur. ut Aristophanes in Auibus.

Οἶσθ' ἔν ὁ δρᾶσον ὦ τρόχυλε; τὸν δεσπότην

Ἡ μῖν κάλεαστον.

quare ſine controuerſia ita etiam in illo ex Hecuba uerſu legendum eſt. etiamq; illud, quod in Cyclope ita legitur,

οἶσθ' ἔνθ' ὁ δράσεις, ὡς ἀπαίρωμεν χθονός;

eodem modo emendandum facile crediderim.

Antelogium quid. Plauti è Menæchmis correctus locus. Cap. XIII.

QVOD dixi ſupra, cum, quid ualeret apud Ciceronem, in acta', explicarem, Siciliam eo olim ſermone uſam, qui neque plane Græcus, neque plane latinus, ſed quaſi cinnus quidam ex utroque miſtus eſſet: id & è Cicerone, & è Q. Aſconio intelligi poteſt. Plautus autem, qui iocandi occaſionem undique quæreret, in Menæchmis, quòd ea fabula, ut ipſe ait, Siciliſsitabat, nomen quoddam finxit è duabus uocibus, altera latina, & græca altera iunctum. Antelogium enim dixit pro eo, quod olim Pacuuius dixerat prologium. quod qui non intelligebant, ex Antelogiũ, fecerunt ante elogiu m. cum tamen elogium nihil neque Græcis, neque Latinis ſignificet: ut alibi docebimus. ſed præſtat Plauti uerſus ſubiicere. ſimul enim alia corrigẽtur.

Atque adeo hoc argumentum Græciſſat tamen:
Verum non Atticiſſat, at Siciliſsitat

Pabergenſis Plauti corrector, præter cetera peccata, è ſecundo horum uerſuum detraxerat particulam, at: deinde cum animaduerteret, una ſyllaba minus eſſe, quàm requireret lex carminis: pro Siciliſsitat, ſcripſit, Siciliciſsitat. acute. Sicilicià pro Sicilia hac ratione diceremus. ſequitur.

Huic argumento antelogium quoddam hoc fuit. Idem, una lepidiſsima uoce lacerata, nullo ſenſu ſcripſit, ante elogium. & pro, quoddam, quidem. ſequitur.

Nunc argumentum uobis demenſum dabo,
Non modio, neque trimodio, uerum ipſo horreo.
Tanta ad narrandum argumentum eſt benignitas.

Tanta enim legi debet: non, ut in illius libris, tantum. quippe cum hoc dicat, tantam eſſe ſibi benignitatem, ac largi-

largitatem ad narrandum argumentum, ſeq; ita illius eſſe προετικὸν, ut daturus ſit illud demenſum, non modio, neque trimodio, uerum ipſo horreo. Sed & ex eadem illa, de qua dixi, Siculorum conſuetudine, ioco dictum eſt in eadem fabula, Epidammi nomen iunctum eſſe ex ἐπὶ, & damnum: quia illuc nemo fere, niſi damno ſuo, diuertere ſoleret. quod omen fugiens populus R. antiquum oppido reſtituit Dyrrachii nomen.

Hiſtoria de oraculo, quod Peleo redditum eſt. Xenophontis locus correctus. Cap. XIIII.

QVI crebro Veneri operantur, eorum genitalem humorẽ liquidiorem, iccircoq; minus aptum ad generandum efficiconſtat. quare inter ea, quæ præcipi ſolent iis, qui liberos procreare cupiunt, id quoque eſt, ut congreſſu Venereo non ita frequenter utantur. atque is erat ſenſus oraculi, quod Peleo quondam redditum traditur. qui cum petiiſſet à deo indicari ſibi rationem aliquam, qua pater fieri poſſet: multos enim iam annos fruſtra uxoris hortũ conſeuerat: reſponſum hoc tulit.

Ne ſoluas ex utre pedem qui prominet, ante
Cæcropiæ pingues quàm ſis delatus in agros.

ita enim putaui, hos uerſus reddi utcunque poſſe:

Τὸν πρὶν χοντ' ἀσκῦ ποδεῶν' ὦ φίλτατε λαῶν
Μὴ λύσαι, πρὶν γουῶν Αθηναίων ἀφικέσθαι.

Vtrem uocabat deus uentrem ipſius Pelei. ex quo qui prominueret ποδεῶν, nihil ullo opus eſt Oedipo ad intelligendum. illo igitur uerborum circuitu præcipiebat, ut ſe uxori caſtum & integellum ſeruaret, afferretq; ad eam graues & plenos probatæ pecuniæ loculos. Illud quoque cognitum eſt & ratione, & experientia, ſi quid gignatur ab iis, qui ſe nimis ſæpe in illa palæſtra exercent, infirmum id atque imbecillum eſſe. cum contra qui parce ac bono modo id faciunt, robuſtiores plerunque ac ſolidiores filios edolent. Quam ob cauſſam Lycurgus inſtituerat, ut noui

mariti & raro, & furtim congrederentur cum uxoribus: hac ratione iudicans fore, ut & ardentius se mutuo desiderarent, & uegetiores liberos producerent. Xenophontis uerba, quibus hoc de Lycurgo exponit, hæc sunt. ἔδοκει γὰρ αἰδεῖσθαι μὲν εἰσιόντα, αἰδεῖσθαι δὲ ἐξιόντα. οὕτω δὲ σωφρόντων, ποθεινοτέρως μὲν ἀνάγκη σφῶν αὐτῶν ἔχειν, ἐρρωμενέστερα δὲ γίγνεσθαι, εἴτι κλάσοιεν, ὅτῳ μᾶλλον, ἢ εἰ διάκοροι ἀλλήλων εἶεν. Recitaui autem illa, ut legi debere censeo, non ut uulgo leguntur. in omnibus enim, quos ego quidem uiderim, libris, pro κλάσοιεν, legitur κλάποιεν. qui primo aspectu pusillus error quas Francisco Philelpho tenebras offuderit, scient, qui interpretationem illius inspexerint. quin autem uerbum κλασάνειν, ab iis quæ oriuntur è terra, elegantissime ad homines traferri potuerit, dubitaturum existimo neminem.

Xenophontis alius locus correctus. Cap. XV.

MVLTA deprauata sunt in Xenophontis libris: plura male intellecta ab iis, qui eos in latinum sermonem conuertere studuerunt: quale est quod modo protulimus: itidemq; quod nunc prolaturi sumus. sed hoc Xenophontis proprium non est. optimi quique scriptores & Græci, & Latini, quanquam Græci magis, sed tamen & Græci, & Latini ita multis ulceribus scatent, ut uix eorũ πολλοσημόριον quod dam sanum integrumq; permanserit. Indoctorum autem audacia nunquam solutior, nunquam proiectior, quàm nostris temporibus, fuit. Conuertunt, aut inuertunt potius, & peruertunt omnia, philosophos poetas, oratores, historicos, rhetores, grammaticos, etiam ea quæ natura, ut uerti possint, non habent: suntq; ita impudentes, ut quæ se intelligere profiteri non audent, audeant interpretari. Quo magis laudanda est Petri Victorii, Pauli Manutii, Adriani Turnebi,

Præclarorum hominum, ac primorum, signiferumq;, & aliorum similium industria: qui omne studium suum eò conferunt, ut omnes, καθ' ὅσον οἷόντε, maculas ex antiquo-

umr

rum monimentis eluant: & labore suo laborem minuunt iis, qui ex animo aspirant ad ueteres illos uero ac serio intelligendos. Equidem neque horum institutum satis laudare, neque illorum impudentiam satis mirari queo: neque satis miserari eorum uicem, quibus, quòd aditum sibi ad fontes patefacere neglexerint, ex impuris illis ac turbulentis talium interpretum lacunis hauriendum est. Sed omittamus hæc, &, quod instituimus, unum etiam mendũ è Xenophonte tollamus. etsi enim parum uideri potest, cum tam multa sint, unum aut alterum tollere: tamen nihil est tam pusillum, quod non auide accipi debeat, quod quidem ad tam politum, tamq; utilem scriptorem pertineat. Paruum est, quod afferimus: sed magnus is, quem adiuuamus. Ergo in libello de rep. Lacedæmoniorum, cũ dixisset, ita instituisse Lycurgum publica illa ciuium suorum conuiuia, ut neque deessent epulæ, neque superessent, addit. Πολλὰ δὲ καὶ παράλογα γίγνεται ἀπὸ τῶν ἀργευομένων. οἱ δὲ πλήσιοι ἔξιν ὅτε καὶ ἀργὸν ἀντιπαραβάλλουσιν. ὥσε ὅτε ἔρημός ποτε ἡ τράπεζα βρωτῶν γίγνεται, ἐς ἂν διασκηνῶσιν, ὅτε πολυδάπανος. quæ uerba ita interpretatus est Philelphus. Permulta quoque ab ociosis & absurda patrari solent. ac locupletes interdum ociosi similitudinem reddunt. proinde neque uacua cibis mensa unquam fit, quoad discubuerint, neque item sumptuosa. In quo illud primum est, quod admirer. crediderit ne reuera, id quod ipse diceret, è Xenophontis uerbis colligi posse. si enim ita credidit, ualde stupidus, ualdeq; imperitus fuit. sin, cum sibi conscius esset, Xenophõ tem nullo modo hoc dicere: quiduis tamen maluit, quàm institutum omittere, & abiicere illas paucas paginas, quas iam conuertisset, & conuertere se ad aliquid aliud, quod præstare posset: hoc, inquam, si fecit. nolo quicquam asperius dicere. malo in aliorum cogitationibus relinquere, quo illum nomine fuisse dignum putem. Deinde illud libenter ex eo, si uiueret, quærerem: illa absurda, quæ patrari ab ociosis diceret, quid tandem ad conuiuia attinerent: aut qua ratione fieret, ut, quia multa absurda patrarentur ab ociosis, iccirco mensa neque inanis, neque sumptuosa

ptuosa esset. sed ego fortasse culpandus, qui tam apertam stultitiam tam multis uerbis insecter. Locus Xenophontis corruptus est. hoc primum. ita autem corrigendus uidetur: ut pro ἀργευομένων, quod uerbum nihili est, legamus, ἀγρευομένων: & pro ἀργὸν, ἄγραν. Ita hoc dicet Xenophon: præter quotidianum illum & legitimum apparatum, multa inexpectata afferri solita ab iis qui uenati essent. Illi enim libenter ea quæ ceperant, ad publicas illas mensas afferebant. interdum etiam diuites afferre solitos aliquid, quo quasi compensarent aliorum capturam: ne uiderentur asymboli uenire ad ea fruenda, quæ alieno labore parta essent. Hac ratione mensa sine magno sumptu commode instruebatur.

Particulam, ἄ, è quodam loco ex apologia Socratis apud Platonem, delendam uideri. Cap. XVI.

ACCVSATORES Socratis, ut eius orationi fidem detraherent, eamq; suspectam iudicibus efficerent, præmonuerant eos, ut cauerent sibi: multum enim eum posse dicendo, & habere eam uim, eamq; calliditatem, ut inferiorē caussam dicendo efficeret superiorem. Quare Plato in defensione, quam homini sanctissimo scripsit, ita eum, cupientem amoliri à se illam opinionem, loquentem facit: ut dicat, se mirari, quid ipsis uenerit in mentem id dicere, quod ipse statim reipsa refutaturus esset: locuturum enim non ornate & exquisite, sed simpliciter ac populariter, ut soleret. itaque sperare, omnes facile iudicaturos, se minime esse, quod illi dixerant, δεινὸν λέγειν. addit deinde. εἰ μὴ ἄρα δεινὸν καλοῦσιν αὐτοὶ λέγειν, τοῦτ' ἀληθῆ λέγοντα. εἰ γὰρ τοῦτο λέγεσιν, ὁμολογοίην ἂν ἔγωγε κατὰ τούτους εἶναι ῥήτωρ. Sed ego ex illo ἀμαθὰ τούτους, particulam ἄ, delendam putarem: ut hoc diceret Socrates: si illi forte aliter acciperent nomen eloquentis, quàm uulgus soleret: & eloquentē uocarent non eum qui ornate diceret, sed eum qui uera loqueretur: se tunc fassurum, se, non illo usitato ac populari modo: sed ex

ex ipsorū sententia rhetorem esse. Marsilius tamen illud, ἄ, agnoscit, & alio quodā modo exponit: cui non assentior.

Emendatus Plauti locus è Milite glorioso. Cap. XVII.

PLAVTINI uersus sunt è milite glorioso.

Quid istuc quæso? quid oculo factum est tuo?
PL. Habeo quidem hercle oculum. PYR. at læuum dico.
PL. eloquar.
Maris caussa hercle ego hoc utor oculo minus.
Nam si abstinuissem à mari, tanquam hoc uterer.

in quibus cū iocus elegantissimus, & Plautino dignissimus ingenio subsit, una litterula deprauata ita eum corrumpit, uix ut à quoquam sentiri queat. nam cum Atheniensis ille adolescens, qui ornatu nauclerio amicam à milite per fallaciam abducturus uenerat, oculum sibi læuum, ne agnosceretur, obligasset: interrogatus à milite, cur id faceret, urbanissime respondet, se id maris caussa facere. nam, inquit, si amare abstinuissem, eo æque atque altero uterer. ludit autem militem ambiguitate uocabuli. cum enim dicere uideatur duabus uocibus, si à mare abstinuissem: nō id dicit: sed, si amare abstinuissem. reuera enim amor ipsi in caussa fuerat, ut eo oculo minus uteretur: aut saltem ita fingeret. Mare autem sexto casu dixisse ueteres constat. Sic Varro.

Clauditur Oceano, Libyco mare, flumine Nilo.

Sed & Ouidius: = & Libyco, inquit, de mare carpat aquā. ita igitur Plautinus ille uersus legendus est.

Nam si abstinuissem amare, tanquam hoc uterer.

Lentos debitores aliter à Cicerone, aliter à Lucilio dictos. Lucilii uersus apud Nonium emendati. Cap. XVIII.

LENTOS usitate uocamus tardos & segnes: opponiq; tū id nomen prōpto ac celeri uidetur. interdum autem lentum aliter accipimus: ut cū lentū uimen dicimus: & cū Virgilius

lius lentã ſalicem: & = lento ducũt argento. lentum enim tum idem ualet, quod molle, cedens, quodq;, quocunque uelis, facile trahi duci ue poſsit. id denique, quod χαῦνον Græci uocant. Latini non nunquã facile: ut Tibullus:

Fictilia antiquus primum ſibi fecit agreſtis
Pocula, de facili compoſuitq; luto.

Eandem enim qualitatem ſignificauit in luto, quam in cera Plinius his uerſibus.

Vt laus eſt ceræ, mollis cedensq; ſequatur
Si doctos digitos, iuſſaq; fiat opus.

flexibilem uidelicet naturam quandam, & minime contumacem. Ad priorem illam huius uocabuli uim reſpexit M. Tullius, cum C. Antonium lentum uocauit. Teucris, inquit, illa, lentum ſane negocium. hoc enim ſignificauit, eum libenter ſubterfugere, & tergiuerſari, & diem ex die ducere, neque promptum eſſe ad diſſoluendum quod deberet. at contra olim Lucilius lentum ſoluere acceperat, pro eo, qui facile ſolueret, bonumq; nomen eſſet. Credo, quòd lenta quæ ſunt, facile ſequuntur, quò uelis: lentum quoque uocauit eum, qui facile ad ſoluendum adduceretur. Verſus eius, in quibus hoc uocabulum ita ponitur, extant apud Nonium Marcellum: ſed miſere depraua uati. ſic enim ibi legitur. Tricones, moroſi & ad reddendum duri. Lucilius ſatyrarum lib. IX. Lucil. Cotta ſenex
» Craſsi pater huius pacem magnus fuit triconum, Marius
» ſoluere nulli lentus, id eſt facilis. Mihi ita legendum uide-
» tur. Tticones, moroſi & ad reddendum duri. Lucilius ſa-
» tyrarum libro IX.
» Luciu' Cotta ſenex Craſsi pater huius peracer,
» Magnu' fuit trico nummariu', ſoluere nulli
» Lentus. id eſt, facilis.

Iam qui fuerit ille Cotta: & qui potuerit, niſi forte per adoptionem, Craſsi cuiuſquam pater eſſe: cum alterum Aurelium, alterum Licinium fuiſſe uerisimile ſit: quanquam fieri etiam poteſt, ut Craſsi nomen hoc loco proprium non ſit: ſed hoc, utut eſt, quærant, quibus iſta curæ ſunt. ego quod potui, præſtiti.

Horatii

Horatii uerſus è quinto odarum illuſtrati. Cap. XIX.

HORATIANI uerſus ſunt ex ode, qua εἰρωνευόμενος ueniam à Canidia uenefica petit.

Vnxere matres Iliæ addictum feris
Alitibus atque canibus homicidam Hectorem:
Poſtquam relictis mœnibus rex procidit
Heu peruicacis ad pedes Achillei.

uariant autem libri ueteres: quòd in aliis, Vnxere, legitur, in aliis, Luxere. quam poſteriorem ſcripturam mirifice Homerus confirmat. apud quem Iliados omega, Hectorem relatum ad ſuos Andromacha, & Hecuba, & Helena θρηνοῦσι, ceteræ autem mulieres ἐπαιάζουσι, καὶ γεναχίζουσι. neque tamen illa prior repudianda eſt: cum conſtet, ungi ſolita apud antiquos cadauera, ut diutius integra conſeruarentur: eiusq; muneris muliebrem curationem fuiſſe: uel ex illo Ennii.

Tarquinii corpus bona femina lauit & unxit.

Itaque & urbanus ſcurra Martialis, non illepidum dictum ex eo duxit.

Qui non cœnat, & ungitur Fabulle,
Is uero mihi mortuus uidetur.

& quidam Græcus epigrammatum ſcriptor ait, malle ſe uiuum madere unguentis & uino, quàm utrunque ſeruare ad exequias ſuas. ſed ea quidem res dubitationem non habet. quare utro quis modo legerit, peccaturum non crediderim. Id quod ſequitur, addictum feris Alitibus atque canibus, Homericum eſt. nota enim ſunt illa,

= αὐτὰρ δ' ἐλώρια τεῦχε κυσὶν
Οἰωνοῖσί τε πᾶσι, &,
Ον δέ κ' ἐγὼν ἀπάνευθε μάχης πεπιθοντα νοήσω,
Μιμνάζειν παρὰ νηυσὶ κορωνίσιν, ἠὲ οἱ ἔπειτα
Αρκιον ἐσσεῖται φυγέειν κυσὶ, ἠδ' οἰωνοῖς.

epitheton quoque, quo Hector ornatur, ex eodem poeta ſumptum eſt.

WBP Opole

ἦ εὖτ' ἂν πολλοὶ ὑφ' Ἕκτορος ἀνδροφόνοιο
Θνήσκοντες πίπτωσι. &,
Θεσπεσίῳ ἀλαλήτῳ ὑφ' Ἕκτορος ἀνδροφόνοιο
Φεύγοντες. itemq́;,
Ἕκτορος ἀνδροφόνοιο κάρη μετὰ χερσὶν ἔχεσθαι.

languidius tamen, &, ut ita dixerim eneruatius est latinũ, quàm id græcum unde expressum est. ἀνδροφόνος enim significari uidetur is, qui uiris fortibus in acie animam eripiat. at homicida magis est ἀνθρωποκτόνος. ut, quantum inter hominem & uirum interest, tantum inter hæc duo epitheta interesse uideatur.

Declaratus locus quidam è Ciceronis Hortensio. Cap. x x.

CICERONIS ex Hortensio apud Nonium hæc uerba refe
„ runtur. An cum uideat me, & meas comites, fortitudi-
„ nem, magnitudinem animi, patientiam, constantiam, gra
„ uitatem, fidem, ipsa se subducat? quamuis autem liber ip
se non extat, tamen non est difficile homini in Ciceronis scriptis exercitato uidere, quorsus illa dicta essent. Erat enim magnis inter philosophos agitata contentionibus quæstio: posset ne quis in tormentis beatus esse. Theophrastus dixisse putabatur, uitam beatam in rotam non ascendere. Stoici contra pugnabant: &, qui beatitudinem in sola uirtute ponerent, acerrime defendebant, etiam in sæuissimis asperrimisq́; cruciatibus, hominem uirtute præditum beatum fore. Vtebantur autem ad eam sententiam illustrandam, & subiiciendam ante oculos quadam imagine: ut dicerent, cum chorus ipse uirtutum raperetur ad tortorem, beatam uitam non subducere se, neque manere extra ostium, sed illas usque comitari. Cicero igitur aut iustitiam, aut quam aliam uirtutem, sed iustitiã, ut puto, ea de quibus agitur uerba dicentem fecerat. id ita esse cognoscitur è v. Tusculanarum, ubi Cicero ipse ita loquitur.
„ Quid igitur? sola ne beata uita quæso relinquitur extra
„ ostium limenq́; carceris, cum constantia, grauitas, forti-
„ tudo, sapientia, reliquæq́; uirtutes rapiantur ad tortorem,

„ rem, nullumq́; recusent nec supplicium, nec dolorem? &
„ in eodem libro. Dabit, dabit, inquam, se in tormenta ui
„ ta beata, nec iustitiam, temperantiam, in primisq́; fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam prosecuta,
„ cum tortoris os uiderit, consistet, uirtutibusq́; omnibus
„ sine ullo animi terrore ad cruciatum profectis, resistet extra fores, ut ante dixi, limenq́; carceris. Possem multo plura colligere, quæ hoc uerum esse ostenderent: sed hæc satis esse duco.

M. ANTONII MVRETI
AD HIPPOLYTVM ESTENSEM S. R. E. CARDINALEM ILLVSTRISSIMVM,
VARIARVM LECTIONVM LIBER QVARTVS.

Historia de Pindaro poeta, multato à suis, ornato ab Athenienſibus. Cap. I.

PAVSANIAS in Atticis narrat, Athenienſes, quòd à Pindaro in quodam aſmate laudati eſſent, tanti feciſſe ampli illius ac grandiloqui poetæ teſtimonium, ut & dona ei plurima ob id miſerint, & ſtatuam in ciuitate ſua ſtatuerint. Non igitur mirum eſt, ſi illis temporibus multi ac præſtantes poetæ fuerunt: cum qui ea facultate excellebant, & maximis muneribus honeſtarentur, & honoribus ampliſsimis mactarentur. ætate noſtra, uocalis ille olim Muſarũ chorus conticuit: quæq; auaritia marſupia potentium cluſit, eadem uenas Heliconii liquoris obſtruxit. Sed quod de Pindaro perſtringit Pauſanias, id fuſius ediſſerit in quadam epiſtola Aeſchines. Ait enim illum, cum Athenienſium urbem commendaſſet his uerbis, αἵτε λιπαραὶ καὶ ἀοίδιμοι Ἑλλάδος ἕρεισμ' Ἀθῆναι, multatũeſſe à ciuibus ſuis, ægrefe rentibus, alienis eum potius, quàm ſuis, illam tantam laudem dediſſe. quod ubi reſciuere Athenienſes, confeſtim miſerunt ei duplum eius pecuniæ, quam multæ nomine erat exactus: ipſumq; ænea ſtatua ornarunt. ea ſtatua uiſebatur Aeſchinis ætate ante regiam porticum: ſedens Pindarus cum pallio, & diademate, lyram tenens: & ſuprage nua apertum librum.

Quod

Quod Ariſtoteles ſenſit, de iis qui ſeipſos interficerent, Euripidis teſtimonio confirmatum. Cap. II.

CVM uulgo crederetur, uiri fortis eſſe, mortem ſibi conſciſcere potius, quàm graue aliquod & acerbum malum perpeti: ſapienter animaduertit Ariſtoteles, falſam eſſe illam hominum opinionem: eosq; qui ita facerent, non modo fortes, ſed ignauos, paruiq; & abiecti animi habendos pronunciauit. docent enim, ſe id, quod fugiunt, ferre nõ poſſe, neque pares eſſe ei caſui ſuſtinendo, propter quem uitam relinquunt. id autem effeminatã potius animi mollitiem, quàm magnitudinem arguit. Diſputauit eadem de re doctiſsime ac ſapientiſsime Diuus Aurelius Auguſtinus libro primo de ciuitate Dei, multisq; rationibus oſtendit, Lucretiũ, Catonem, ceterosq; eiuſmodi, fruſtra in hiſtoriis à fortitudine laudari. longius etiam progreſſus, demõſtrauit nullam eſſe poſſe bono ac ſapienti uiro ἐξαγωγὴν, ut Stoici loquebantur, εὔλογον. Sed & Euripides id ante docuerat: qui Herculem primo facit ſuccumbentem magnitudini eius doloris quem hauriebat è cæde uxoris & liberum, quam ipſemet, furore diuinitus immiſſo correptus, perpetrauerat: & ob id è uita diſcedere meditantem: deinde redeuntem ad ſe, & mutantem conſilium, uerentem, ne id ſibi ignauiæ aſcriberetur, ſi lucem relinqueret, tanquam ægritudini impar ferendæ. Ariſtoteles ita hac de re ſcribit, lib. III. νικομαχείων. Τὸ δ' ἀποθνήσκειν, φεύγοντα πενίαν, ἢ ἔρωτα, ἢ τι λυπηρὸν, οὐκ ἀνδρείου, ἀλλὰ μᾶλλον δειλῦ. μαλακία γὰρ τὸ φεύγειν τὰ ἐπίπονα. καὶ οὐχ ὅτι καλὸν, ὑπομένει, ἀλλὰ φεύγων κακόν. Euripidis autem uerſus hi ſunt.

Εσκεψάμην δὲ, κἀπερ ἐν κακοῖσιν ὢν,
Μὴ δειλίαν ὄφλω τιν', ἐκλιπὼν φάος.
Ταῖς συμφορᾶς γὰρ ὅστις οὐχ ὑφίσταται,
Οὐδ' ἀνδρὸς ἂν δυναιτ' ὑποσῆναι βέλος.

ſed & apud Martialem, memini eſſe epigramma quoddam in hanc ſententiam: cuius hæc clauſula eſt.

Rebus

Rebus in aduersis facile est contemnere uitam.
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

Correctus Ciceronis locus è libro tertio de legibus. Cap. III.

De tribunicia potestate longa & copiosa est disputatio apud Ciceronem libro III. de legibus. nam cum illam Q. Cicero pestiferam & exitiosam esse dixisset: respondens Marcus, multa ei uitia inesse non negat: sed quæ tamen facile compensentur pluribus & maioribus bonis: eo maxime, quòd nihil ea utilius cogitari potuerit ad plebem cũ patribus in concordia continendam. tum dissoluens ea,
„ quæ Quinctus aduersus eam dixerat, ita loquitur. At duo
„ Gracchi fuerunt. & præter eos, quamuis enumeres. mul-
„ tos licet, cum deni crearentur: nullos in omni memoria
„ reperies pernicioſos tribunos: leues, etiam non bonos
„ fortasse plures. inuidia quidem summus ordo caret. Sed habet dubitationem, quid sit, quod Cicero ait, Cum deni crearentur. ita enim loqui, quasi deni creari desierint, uidetur. Neque melius, aliquanto etiam deterius, uidetur, quod Adrianus Turnebus scripsit, qui locum hunc ita
„ edidit. At duo Gracchi fuerunt? & præter eos, quamuis
„ enumeres multos, licet. Cum deni creantur, nullos in omni memoria &c. quasi aliquando deni creentur, aliquando aliquo alio numero: &, cum deni creantur, tum nulli pernicioſi reperiantur. quod si esset, næ mirificam ille uim numerus habuisset. ego addendam particulam, non: & tum locum ita legendum puto. At duo Gracchi fuerunt. Et præter eos quamuis enumeres multos licet, cum deni creentur. Non nullos in omni memoria &c. Illud enim, At duo Gracchi fuerunt: quasi ex Quincti persona Cicero dicit. Deinde respondens ait, non eos tantũ proferri posse, uerum etiam eorum similes quamuis multos. neque id mirum esse, cum deni creentur. etenim in tanto numero, non est mirabile plures improbos extitisse, quàm in iis magistratibus qui bini creabantur. Tum subiungit: si euo-

euoluantur annales, & antiquitatis memoria replicetur: non nullos repertum iri pernicioſos tribunos: leues aut etiam non bonos fortasse plures. Hoc tamen magnum bonum in tribunatu inesse: quòd efficit, ut ordo senatorius inuidia careat. Nullos autem in omni memoria pernicioſos tribunos fuisse, nemo, opinor, nisi plane ἀνισόρριτος dixerit.

De ueteri prouerbio, quo dicebatur, quod pulchrum est, placere. Cap. IIII.

Quae pulchra sunt, habere eam uim, ut statim conspecta, omnium sibi uoluntatem concilient, amoremq; adiungant, nemini ignotum esse, nisi communis sensus experti potest. Itaque scitum est illud Aristotelis, qui interrogatus ab aliquo, qui fieret ut pulchri tam facile ab omnibus amarentur: cæci eam interrogationem esse respondit. et Græci sapienter sua lingua pulchro ex eo indidere nomen, quod omnes ad se alliciat: dixerunt enim καλὸν, παρὰ τὸ καλεῖν, ὅτι πάντας ἐφ' ἑαυτὸ καλεῖ. Testati sunt idem uulgato olim prouerbio: quo dicebant, quod pulchrum esset, id demum amicum esse. eo usus est Euripides in Bacchis: ubi hic uersiculus legitur,

Ο, τι καλὸν φίλον ἀεί.

& Plato in Lyside. Ἀλλὰ τῷ ὄντι αὐτὸς ἰλιγγιῶ ὑπὸ ἧς τῶ λόγου ἀπορίας, καὶ κινδυνεύει, κατὰ τὴν ἀρχαίαν παροιμίαν, τὸ καλὸν φίλον εἶναι. Eius autem originem ad Musas & ad Gratias referunt: quæ cum conuenissent ad nuptias Cadmi & Harmoniæ, pulchrum carmen, quo ea sententia contineretur, immortali ore cecinerint: nouæ nuptæ pulchritudinem, ut uerisimile est, commendantes. Hoc de sapientissimo poeta Theognide cognouimus: cuius hæc sunt.

Μῦσαι καὶ Χάριτες, κοῦραι Διὸς, αἵ ποτε Κάδμῳ
Ες γάμον ἐλθοῦσαι, καλὸν ἀείσατ' ἔπος.
Οτ, τι καλὸν φίλον ἐστὶ, τὸ δ' οὐ καλὸν οὐ φίλον ἐστὶ.
Τῶτ' ἔπος ἀθανάτων ἦλθε διὰ στομάτων.

nam ad illas nuptias uenisse diuos, testatur etiam Euripides in Phœnissis.

Ἁρμονίας δ' ἑπτ' εἰς ὑμεναίους
Ἦλθον ἐρανίδαι.

De loco quodam Varronis aduersus Petri Victorii sententiam disputatum. Cap. V.

POSVI iampridem magnum studium in iis fragmentis M. Varronis, quæ dispersa passim apud ueteres grammaticos, ac præcipue apud Nonium leguntur. magis autem mihi placere meum illud studium cœpit: posteaquam Petri Victorii (quem ego hominem, etsi sæpe ab eo dissentio, longe tamen facio plurimi) Variarum lectionum libri præclari sane & utiles in lucem prodierunt. Laudat enim ille pluribus locis eos, qui id faciunt: datq; plurimas luculentas significationes diligentiæ quam ipse in iisdem illis fragmentis reconcinnandis adhibuerit. sed ita contigit, ut multos locos, quos ego coniectura tantum usus emendare conatus eram, ipse postea longe aliter à se emẽdatos ediderit. quare, etsi non sum tam stultus, ut me cogitem tanto uiro ἀντιπαραβαλεῖν, proferam tamen ueteres quasdam opiniones meas; ut de iis cum ab aliis, tum ab ipso in primis Victorio iudicetur. Citantur igitur illa è Varrone, Margopoli, περὶ ἀρχῆς. Cui celer die nos lemmatos logos Antipatri Stoici filius rutro caput displanat. quæ cũ corrupta esse appareat, putat Victorius legendum esse dilemmatos logos. Sed ea coniectura mihi quidem parum digna auctore suo uidetur. primum, quòd nimium recedit à uetere scriptura. Deinde quòd Antipater logis utebatur non dilemmatis, sed monolemmatis. ut testatur Alexander his uerbis. οὔς γαρ ὁι περὶ Αντίπατρον μονολημμάτους συλλογισμὸς λέγουσιν, οὐκ εἰσὶ συλλογισμοὶ, ἀλλ' ἐνδεῶς ἐρωτῶνται. quæ uerba ille cum ad stabiliendam coniecturam suam attulit, uidetur suo se gladio, quod aiunt. Nam dilemmati quidem syllogismi sunt ex Aristotelis sententia. quis est enim ita hospes in analyticis, ut nesciat, duo lemmata præcedere ad efficiendam conclusionem? Sed quid in hac re pluribus moror?

moror? Ego, nihil addens, nihil detrahens, locum ita legendum semper crediderat: neque sane me sententiæ penitet. Cui celer δι' ἑνὸς lemmatos logos. Idem enim puto esse λόγους μονολημμάτους, & λόγους δι' ἑνὸς λήμματος. cuius rei uolo Victorium ipsum iudicem esse.

Fragmentum Varronis è Marcipore, quo tempestas eleganter describitur. Cap. VI.

ATTEXAM etiam huic loco elegantem quandam descriptionem tempestatis, quæ uersibus iambicis inclusa, apud eundem grammaticum, è Varronis Marcipore legitur: sed diuulsa. neque tamen quenquam puto inficiaturum, eam à me recte & uere coniunctam esse. est autem hæc.

Nubes aquali frigido uelo leues
Cæli cauernas aureas subduxerant,
Aquam uomentes inferam mortalibus.
Ventiq; frigido se ab axe eruperant
Phrenetici, septem trionum filii,
Secum ferentes tegulas, ramos, syrus.

mutaui pauca quædam: tuto, ni fallor. sed tamen indicabuntur. Aurea, in uulgatis libris legitur, non, aureas: & frigidos, ubi scripsi, frigido se: &, erumpebant, non, eruperant. sed hoc posterius uerum esse demonstrat carminis lex, & præterea orationis ipsius ἀκολουθία, propter illud, subduxerant.

Enniani uersus ex Euripide expressi. notata Nonii inconstantia. Cap. VII.

CERNERE, ait Nonius, amittere. Varro γέροντος διδασκάλω.
„ Non uides, apud Ennium esse scriptum, ter sub armis ma-
„ lim uitam cernere, Quàm semel modo parere? Sed falsam esse & ineptam illam eius uerbi declarationem, ipsomet, qui eam attulit, teste peruincam. cum enim paulo post docuisset, cernere, non nunquam esse idem, quod dimica-

re, aut contendere: ei rei probandæ hoc exemplum subiicit. Ennius Medea exule.

Nam ter sub armis malim uitam cernere.

Hoc autem Euripides, ex quo illam fabulam uerterat Ennius, dixerat, παρ' ἀσπίδα στῆναι. cum enim Medea multa questa esset de infelicitate mulierum: addit, errare eos, qui putant, melius agi cum mulieribus, quàm cum uiris: propterea quòd illæ domi uitam sine periculo exigant: cum uiris sæpe sit de uita in bello dimicandum. se enim, si optio detur, malle ter uitam sub armis, ut locutus est latinus poeta, cernere, quàm semel parere. Euripidi uersus subiiciã.

Λέγουσι δ' ἡμᾶς, ὡς ἀκίνδυνον βίον
Ζῶμεν κατ' οἴκους, οἱ δὲ μάρνανται δορὶ,
Κακῶς φρονοῦντες. ὡς τρὶς ἂν παρ' ἀσπίδα
Στῆναι θέλοι μ' ἂν μᾶλλον, ἢ τεκεῖν ἅπαξ.

Emendati Varronis loci duo. Cap. VIII.

ARISTOTELES libro tertio ad Nicomachum ait, homines intemperantes & asotos, cum in iis uoluptatibus uersentur, quæ communes sunt nobis cum brutis animantibus, iis nempe, quæ gustatu percipiuntur, quæq; tactu, addit postea, eos gustatu aut nihil omnino, aut perparum uti. cum enim gurgites illi, ita uinum in guttur suum quasi in utrem aliquem inuergant, nihil curantes, nisi ut quamplurimum exhauriant, prope ut percolando uino nati esse uideantur, non admodum possunt eius suauitatem gustando percipere. cũ contra delicati & elegantes homines, qui grato illo liquore linguam sibi ac palatum probe titillari uolunt, paulatim eum in gurgulionem instillent uerius, quàm infundant, guttatim prope ducentes: etiam antequam bibant, oculis poculum sæpe ac naribus admouentes, nulla ut sit in eo particula suauitatis, quam non ipsi accurate exprimant, exquisiteq; persentiant. quod in Euripidi Sileno optime cerni potest. id non faciunt, qui gutture tantum pro infundibulo utuntur. Hoc autem augu-

guror, dixisse etiam Varronem in ea satyra, quæ inscribebatur, Est modus. matula. περὶ μέθης. inde enim citantur
„ hæc. Quis in omni uita helio πιοπο olfacit temetum? quæ
„ ego quodammodo legenda censuerim. Quis in omni uita heluo probe olfacit temetum? potest autem aut proprie usus esse olfaciendi uerbo, aut etiam illud ad gustatum trã stulisse. Sed haud alienum fore puto, si ex eadem satyra uersus aliquot attulerim, quibus uinum elegantissime celebratur. quamuis primum quidem eorum corruptum est, neque à me emendari potuit. cetera mendo carere confido.

* Cui nihil iucundius quisquam uiuit.
Hoc ægritudinem ad medendam inuenerunt.
Hoc hilaritatis dulce seminarium.
Hoc continet coagulum conuiuia.

Duo uersus Horatii conuersi è Simonide. Cap. IX.

DVDVM admonui, uersum illum Horatianum,

Mors & fugacem persequitur uirum:

aduerbum expressum esse è Simonide. illum enim ita cecinisse:

Ὁ δ' αὖ θάνατος ἐφῆκε καὶ τὸν φυγόμαχον.

nunc cum in alium inciderim, qui itidem ex eodem poeta conuersus est, annotandum duxi. est igitur Horatii quidem hic.

Quicunque terræ munere uescimur:

Simonidis uero, Εὑρυέδης ὅσοι καρπὸν ἀνύμεθα χθονός.

qui ex Homero, ut uidetur, sumpserat.

Εἰ δέ τις ἐστὶ βροτῶν, οἳ ἀρόρης καρπὸν ἔδουσι.

reperitur autem Simonideus apud Platonem in Protagora. et apud Plutarchum in commentario de communibus notionibus aduersus Stoicos: sed lacer & mutilus. Vtinam extarent ueterum illorum lyricorum poemata. non dubito, quin propemodum omnia ornamenta, quibus Horatius splendet, ab eis corrogata esse constaret.

Sententiæ cuidam Ouidianæ allata similis ex Euripide. Cap. x.

OVIDIVS in epistola quadam earum, quas scripsit exul, cum multa incommoda collegisset, quæ in tali fortuna obstarent sibi carmen pangere cupienti, illud etiam ponit, quòd tristitia, & mærore confectus esset, cum carmina sint opus hilaræ mentis, serenoq́; , ut ipse loquitur, animo deducta proueniant. Idem autem multis ante sæculis dixerat & Euripides: addideratq́; hanc caussam: quòd qui domesticis ac propriis doloribus angitur, alios delectare nõ possit. Sed præstat, ut uersus, quibus ea sententia continetur, ascribam. Sunt autem ἱκετίσι.

Τόν θ' ὑμνοποιὸν, αὐτὸς ἂν τίκτῃ μέλη,
Χαίροντα τίκτειν. ἢν δὲ μὴ πάσχῃ τόδε,
Οὔτοι δώσαιτ' ἂν οἰκοθέν γ' ἀτώμενος,
Τέρπειν ἂν ἄλλους. ἁδὲ γὰρ δίκην ἔχει.

Vtrum igitur Ouidius ad illa Euripidea respexerit, an idem ipsi, quod illi, in mentem uenerit, incertum est. idem certe uterque dixit.

Quod Aristoteles in antiquis dicendi magistris reprehendit, idem Isocrates antea reprehendisse ostenditur. Cap. xi.

NON primus Aristoteles accusauit eos, qui ante ipsum de arte rhetorica scripserant, quòd cum una eademq́; sit methodus deliberatiui generis, & iudicialis, illi, relicto eo, in quo multo plus inerat dignitatis, tractandarum modo caussarum forensium se rationem tradere professi essent, omnesq́; præceptiones suas ad id unum genus cõtulissent. Sed & Isocrates antea idem reprehenderat, insignemq́; eorum fuisse stultitiam ostenderat, qui arti suæ nomen ab ea parte quæ odiosissima erat, indidissent: cum tamen artis rhetoricæ præcepta nihilo magis ad lites iudiciarias, quàm ad quodlibet aliud orationis genus pertineant. fecerant igitur,

igitur, quod illos potius facere decuerat, qui ei facultati odium conciliare uellent. qui enim infensi sunt alicui disciplinæ, eamq́; in odium adducere cupiunt: si quid in ea est odiosum ac molestum, ab eo potissimum eam appellare consueuerunt: contraq́; qui eam se aut tenere, aut docere profitentur, solent, quod ipsa in se pulcherrimum ac speciosissimum habet, ex eo ipsi nomen imponere. Vtriusque uerba, si quis requirit, apponam. Aristoteles igitur ita scribit libro primo τῆς ῥητορικῆς τέχνης. Διὰ γὰρ τοῦτο, τῆς αὐτῆς ἕξεως μεθόδου περὶ τὰ δημηγορικὰ, καὶ καλλίονος, καὶ πολιτικωτέρας τῆς δημηγορικῆς πραγματείας ἕξεως, ἢ τῆς περὶ τὰ συναλλάγματα, περὶ μὲν ἐκείνης ἁδὲν λέγουσι· περὶ δὲ τοῦ δικάζεσθαι, πάντες πειρῶνται τεχνολογεῖν. Isocrates autem in oratione aduersus sophistas. λοιποὶ δέ εἰσιν ἡμῖν οἱ πρὸ ἡμῶν γενόμενοι, καὶ τὰς καλουμένας τέχνας γράψαι τολμήσαντες, ὧς ἐκ ἀφετέον ἀνεπιτιμήτους, οἵ τινες ὑπέχοντο δικάζεσθαι διδάξειν, ἐκλεξάμενοι τὸ δυσχερέστατον τῶν ὀνομάτων. ὃ τῶν φθονούντων ἔργον ἦν λέγειν, ἀλλ' ἃ τῶν προεστώτων τῆς τοιαύτης παιδεύσεως. καὶ ταῦτα, τοῦ πράγματος, καθ' ὅσον ἐστὶ διδακτὸν, ἁδὲν μᾶλλον πρὸς τοὺς δικανικοὺς λόγους, ἢ πρὸς τοὺς ἄλλους ἅπαντας, ὠφελεῖν δυναμένου.

Antiqui quoties die cibum sumpserint. Cap. xii.

FALSA multorum animos occupauit opinio, ueteres semel tantum die cibum sumpsisse. quam, ut puto, concepe runt è uerbis Platonis, qui in illa nobili epistola ait, displicuisse sibi, quod in Sicilia bis die saturi fierẽt. Sed aliud est, capere cibum, aliud ἐμπιπλᾶσθαι. Ego in Græcorum commentariis reperio, quater die ipsos cibo ac potu corpus reficere solitos: quod etiam hodie multis locis fit apud quasdam transalpinas nationes. primum quidem diluculo. id uocabant ἀκρατισμὸν, aut ἀκράτισμα: quòd non dilutum, sed merum, ut ait Ausonius, merum biberent: aut etiam διανησισμὸν, quam uocem una cum re ipsa nostrates retinuerunt. sequebatur ἄρισον: ita dictum, quòd postea oporteret ἀριστεύειν. inde ἑσπέρισμα: cuius hora erat, cum iam noctescere, antequam tamen contenebrasset. postremo δεῖπνον, aut δόρπον, aut ἐπιδορπὶς. aliter tamen hæc ab aliis traduntur.

duntur. sunt enim, qui tantum tria agnoscant, ἄριστον, δεῖπνον, δόρπον. & de ipso τοῦ δείπνου tempore, ac nomine non omnes idem sentiunt. omninoq; confunduntur hæc apud ueteres. In Romanis scriptoribus reperio silatum, siue ientaculum, prandium, cœnam, uespernam. miror autem, quid sibi uoluerint, cum sili uinum condirent. iucunditatem ne aliquam in eo, an salubritatem spectauerint. Illud quoque non alienum uidetur ab hoc sermone: cum apud Ciceronẽ in illius Platonicæ epistolæ interpretatione uulgo ita legatur, Nullo modo mihi placuit, bis in die saturũ fieri: quod cum mihi latinius uideretur, ita etiam ipse locutus sum. Nam & ei scripturæ firmat fidem Virgilianu-uersiculus:

Bisq; die numerant ambo pecus, alter & hædos.

de illo autem, in die, donec certum & indubitatum aliquod testimonium reppererim, dubitare me non negabo.

Terentianus uersus imitatus è Cæcilio. loci cuiusdam è quarta Tusculana uulgata scriptura aduersus Nonium defensa. item eiusdem grammatici alia quædam improbata. Correctus locus è libro quarto de finibus. Cap. XIII.

VERSVS est Terentii, in fabula quæ inscribitur Adelphœ, in extremo.

Quod proluuium, quæ istæc subita est largitas?

cum autem constet, multa sumpsisse eum è ueteribus poetis latinis: non iniuria credi potest, in hoc uersu Cæciliũ imitatus esse. eius enim est illud ex Hypobolimæo.

= mea rastraria,

Quod proluuiũ, quæ uoluptas, quæ te lactat largitas? Hunc uersum citat Nonius exponens, quæ sit uis uerbi, lactare. apud quem tamen, uitio librariorum, Cœlius, non Cæcilius legitur. sed enim quem ibidem Ciceronis è quarta Tusculana adducit locum, melius in uulgatis libris legi, quàm

quàm quomodo ipse uult, arbitror. ostendit enim, se ita
„ legere. Voluptati maleuolentia lactans malo alieno, delectatio, iactatio, & similia. melius autem uulgo legitur,
„ maleuolentia lætans malo alieno. non enim dubium est, quin Cicero expressérit græcum uocabulum. ἐπιχαιρεκακία. Sed multa eo modo & apud Nonium, & apud eiusdem classis alios parum emendate leguntur. quale est illud ex Academicis, Qui enim serius honores adhamauerunt: in quo quis est, qui aliquem sermonis Romani sensum habeat, quin multo malit, adamauerunt? eius generis est & illud, quod apud eundem Nonium legitur. Coniectarium, efficax, perfectum. M. Tullius de finibus bonorum & malorum lib. IIII. Illud uero minime coniectarium, sed in primis hebes illorum. Hæc ille. Sed profecto aut locum ipsum non legerat, aut quid eum hominis fuisse dicam, nescio, si, cum legisset, non animaduertit, consectarium, non, coniectarium, legendum esse: eamq; uocem neque efficacis, neque perfecti significationem ullam habere. Vtcunque autem sit, præclare agitur cũ quibusdam grammaticis, quòd tam multa eorum, qui ab ipsis citantur, auctorum monimenta perierint. perierant ipsi, nisi illa periissent. emolumento mihi tamen alicui hoc quoque loco Nonius fuit. lumen enim prætulit ad locum illum è libro quarto de finibus corrigendum. neque pigebit, hoc quicquid est lucelli ac quæsticuli communicare cum ceteris. Ciceronis igitur uerba ita in uulgatis libris leguntur. Illud uero minime consectarium, sed in primis hebes, illo-
„ rum scilicet nominum gloriatione dignam esse beatam ui-
„ tam, quæ non possit sine honestate contingere, ut iure
„ quisquam glorietur. Quare primum miratus sum, quid ita ueniisset in mentem Nonio, ut in uoce, illorum, sisteret: curq; non aut eam omisisset potius, aut aliquanto longius progressus esset. deinde attentius cogitanti illud quoque loquendi genus insolens uisum, illorum scilicet nominum gloriatione dignam. etenim, gloriatione dignum, apud Ciceronem reperias: dignum gloriatione alicuius nominis, non uideor legisse. Quid plura? cœpi suspicari, uoces

uoces illas duas, ſcilicet nominum, ſuppoſiticias eſſe: &, delapſas ex aliquo gloſſemate, locum occupaſſe non ſuũ. poſt autem idem illud non iam ſuſpicatus ſum, ſed ita uiſus uidere, ut ea quæ cernuntur oculis: inſpecto uetere libro, in quo erat: Illorum ſcilicet nominum aut Stoicorum gloriatione &c. quis eſt enim, qui dubitet, quin totum illud, ſcilicet nominum, aut Stoicorum, magiſtri fuerit ἀμηχανοῦντος, καὶ ἀποροῦντος, & illud, illorum, quò referri diceret, ambigentis? comprobauit autem ille, quicunque fuit, exemplo ſuo Sophoclis dictum. poſteriorem enim cogitationem habuit ſapientiorem. ſed & in eodem libro ſcriptum erat paulo poſt, quòd non poſſit, non, ut in aliis, quæ non poſſit. Quare ἀναμφισβητήτως ita legendum eſt.

„ Illud uero minime conſectarium, ſed in primis hebes illo-
„ rum: gloriatione dignam eſſe beatam uitam: quòd non
„ poſſit ſine honeſtate contingere, ut iure quiſquam glo-
„ rietur. Atque hoc ita eſſe, magis, qui magis conſideraue-
„ rit, iudicabit.

Theriacam olim bibi ſolitam, uerum non uideri. emendatus Varronis locus. Cap. XIIII.

PROFECTO quo quiſque plus auctoritatis habet in litteris, eo ſolicitius, ac circumſpectius cauere debet, ne quid ſibi, quod parum exploratum habeat, excidere patiatur. nam leues ac contempti homines, cum tale aliquid deſignant, facilis iactura eſt. non eſt uerendum, ne quis eos ſequatur duces. horum ut maximo quiſque in precio eſt, ita maximo periculo peccat. ſed humanus animus nouitatis ſtudio ducitur. eius interdum ſpecie illectus, neque ſatis id quod obiectum eſt attendens, uana pro ueris, pro ſolidis inania amplexatur. Equidem de Petro Victorio nihil à me, niſi ut de uiro ſumma doctrina prædito, dictum uelim. neque aliter decet: qui non fateri tantum, ſed præ me ferre etiam ac prædicare ſoleam, tantum me ex illius uigiliis cepiſſe fructus, quantum ex alii, qui hoc tempore uixerit,

rit, neminis. ſed cogor interdum, quod bona ipſius pace ac uenia dictum ſit, pluſculum in eo diligentiæ & accurationis deſiderare. Nam quale tandem eſt, quod de Leda matre Helenes prodidit? eam, Euripidem facere, in leænam eſſe conuerſam: cum in eadem illa tragœdia, unde ipſe ſe mirificam illam metamorphoſin eruere putauit, tam ſæpe legatur, Ledam laqueo ſibi eliſiſſe fauces, præ dolore quem è filiæ dedecore perceperat. ſunt enim hi uerſus in ipſa embaſi.

Ελέ. ἀπωλόμεσθα. θεσίας δ' ἐσὶ κόρη;
Τεῦ. Αἰδαν ἔλεξας; ὄιχεται θανοῦσα δή.
Ελέ. Ουπω νιν Ελένης αἰσχρὸν ὤλεσε κλέος;
Τεῦ. φασὶ, βρόχῳ γ' ἄφασαν εὐγενῆ δέρην.

Itaque Helena ipſa paulo poſt mala ſua percenſens, ita de matris morte loquitur.

Αἰδα δ' ἐν ἀχγόναις
Θάνατον ἔλαβεν αἰσχύ-
νας ἐμᾶς ἐπ' ἀλγέων.

ſic enim legendum puto. et chorus ἐπαλάζων·

Μάτηρ μὲν ὄιχεται.

locum autem illum, quem ipſe de Leda accepit, de Calliſtone accipiendum eſſe, uel cæco appareat. quid, quod in primo de oratore, actionibus, ſine ullo certo argumento, legi uoluit? ubi noſter poſtea Duarenus, cretionibus, legendum eſſe demonſtrauit. ac ſunt ſane in illis uariarum lectionum libris eiuſmodi plura, quàm uellem. ualde enim eius uiri gloriæ faueo. ſed quod libro primo de theriaca prodidit, id, quia errorem obiicere alicui poteſt, diſſimulandum non uidetur. Ait enim theriacam uideri olim bibi ſolitam: quare neceſſe eſſe, ut tum liquidior fuerit: hoc enim tempore craſsiorẽ ac duriorem cõformari. hoc elici ex uerbis M. Varronis, quæ leguntur apud Nonium, è libro de liberis educandis. ſunt autem hæc. Vel maxime illic didici, & ſitienti, theriacam, mulſum: eſurienti, panem cibarium, ſiligineum: & exercitato ſomnum ſuauẽ. Non, ita uiuam, poſſum ſatis mirari, hoc Victorium, talem ac tantum uirum, dixiſſe. primum enim ubi tandem

uerbum unum de ista liquida theriaca legerat? nam nostra quidem, quæ, ut opinor, & ueterum fuit, cuiusmodi sit, omnes agyrtæ ac pharmacopolæ sciunt. deinde cum constet, ibi Varronem uulgares, & plebeios cibos lautis & opiparis opponere: quæro, cui se hoc probare posse speraverit, tenues olim & egenos homines, ut panem cibarium esse, ita theriacam, amaram uidelicet quandam & tristem potionem, bibere solitos. quam quidem cuiusmodi fingas, oportebit, ut reor, pluris uenire, quàm mulsum. quasi uero aquam gratis sumere non præstiterit, quàm emere quod torqueret. nam si amarum aliquid è medicinis quærebat, quod mulso opponeret: debuit sane eadem ratione siligineo pani opponere, non panem cibarium, sed agaricum, aut colocynthidas. Ego quod senseram de illo Varronis loco, antequam Victorius uariarum lectionum libros ederet: idem nunc quoque sentio: idq; nunc aperiam, ut ex contentione, utra uerior sententia sit, existimetur. Puto igitur, ita legendum esse. Vel maxime illic didici, sitienti uideri acam mulsum, esurienti panem cibariũ siligineum, & exercitato somnum suauem. Nam è duabus uocibus, sitienti uideri, suspicor factum ab imperitis librariis, sitienti teri. Acam autem pro, aquam, antiqua scriptura est: ut loci, pro, loqui: coad, pro, quoad: cotidie, pro, quotidie. Hoc igitur dicet Varro, se illic didicisse, sitienti uideri aquam mulsum. quæ coniectura si cui displicet, ipse meliorem afferat. quiduis certe potius, quã ut illam liquidam theriacam sorbeamus. Crediderim autem, Varronem, cum illa scriberet, respexisse ad hunc locum Xenophontis è primo παιδείας. εἰ δέ τις αὐτὸς ἴεται ἢ ἄλλον ἀνδῶς, ὅταν κάρδαμον μόνον ἔχωσιν ἐπὶ τῷ σίτῳ, ἢ πίνειν ἀνδῶς, ὅταν ὕδωρ πίνωσιν, ἀναμνησθήτω, πῶς ἡδὺ μὲν μάζα, καὶ ἄρτος πεινῶντι φαγεῖν, πῶς δὲ ἡδὺ ὕδωρ διψῶντι πιεῖν. eo magis, quòd alium locum reperio ex eodem Varronis libro, qui ex eodem Xenophontis conuersus est. Xenophon. αἰσχρὸν μὲν γὰρ ἔτι καὶ νῦν ἐστι πέρσαις, καὶ τὸ ἀποπτύειν, καὶ τὸ ἀπομύττεσθαι, καὶ τὸ φύσης μεστοὺς φαίνεσθαι. Varro. Persæ propter exercitationes pueriles modicas, eam sunt consecuti corpore siccitatem, ut neque

neque spuerentur, neque emungerentur, sufflatoq; corpore essent.

Sententia quædam Horatii ab Arato prius prolata ostenditur. Cap. XV.

QVOD Horatius in odis elegantissime cecinit, cum ostenderet, quanta facta esset ad hominum nequitiam accessio, quasiq; uaticinaretur, eam maiorem assidue factum iri, uidendum est, num ex Arato sumpserit. Certe ut hic noster dixit, ab auis deteriores esse proseminatos patres: se deinde editos nequiores patribus: ac liberos etiam corruptiores à se procreatum iri: ita Græcus ille Iustitiam fecerat, cum argenteæ ætatis mortales alloqueretur, exprobrantem iis, quòd tantopere degenerassent à patribus, simulq; prædicentem, fore, ut tamen perditiores etiam liberos gignerent.

Οἵην, inquit, χρύσειοι πατέρες γενεὴν ἐλίποντο
Χειροτέρην. ὑμεῖς δὲ κακώτερα τεξείεσθε.

à quibus non ita multum abludunt Horatiana illa.

Aetas parentum peior auis tulit
Nos nequiores: mox daturos
Progeniem uitiosiorem.

Princeps autem Homerus, tot ante sæculis, materiam hisce sententiis dederat: cum sapientissimam deam introduxisset dicentem, paucos filios patrum similes euadere, deteriores plærosque, paucos præstantiores.

Παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται,
Οἱ πλέονες κακίους, παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους.

De loco quodam è quarto Aeneidos aduersus Seruium. Cap. XVI.

NAM quia nec fato, merita nec morte peribat,
Nondum illi flauum Proserpina uertice crinem
Abstulerat, Stygioq; caput damnauerat Orco.

Hos è quarto Aeneidos uersus Seruius grammaticus oscitanter interpretatus est. ita enim scribit. Trahit hoc de Alcesti Euripidis, qui inducit Mercurium ei comam secantem, quia fato peribat mariti. Sed apud Euripidem nulla prorsus, hac quidem in re, Mercurii mentio est. Introducitur quidem Mors, quæ se uenisse ait, ut illi optimæ mulieri crinem secet: neque tamen id fieri ait, quòd illa mariti fato peritura esset. quin ostendit, eum secari solitum eis omnibus, quibus fatalis aduenisset dies. Vniuersè enim pronunciat, eum sacrum esse diis manibus, cuius ipsa crinem hasta libauerit. ita enim loquitur.

Στείχω δ' ἐπ' αὐτὴν, ὡς κατάρξωμαι ξίφει.
Ἱερὸς γὰρ οὗτος τῶν κατὰ χθονὸς θεῶν,
Ὅτου πόδ' ἔγχος κρατὸς ἀχνίσῃ τρίχα.

Hæc igitur apud Euripidem ὁ Θάνατος loquitur: qui tamen illic quoque, librariorũ uitio, falsò esse putatur Charon.

Prouerbium quoddam ab illo scriptore, qui tam multa alia collegit, prætermissum. Cap. XVII.

MVLTAE ac uariæ lectionis hominem, qui memoriã nostra ex utriusque linguæ scriptoribus tantam uim collegit prouerbiorum, fugere quædam, & quidem illustri in primis locó sita: quod quidem mihi non nunquam per uideri mirũ solet. Nam, si omissa essent, quæ uel è raris inuentu, uel obscuris & ignobilibus libris petenda erant, minus mirum foret. at uero præterita esse, quæ & in promptu posita sunt, & apud præstantissimos auctores leguntur, id uero iustam, ut opinor, admirationem habet. Ex hoc numero est, quod apud Ciceronem legitur, familiam ducere. eo enim prouerbio homo eloquentissimus utitur, cum præcipuum aliquid significat, quodq; principem in re quapiam obtineat locum. Ter autem id me legere memini. Primum in epistola qua C. Trebatium Testam commẽdat Cæsari. nam cum eum multis laudibus affecisset, ad postremum addit: Accedit etiam, quod familiam ducit, in iure ciuili

ciuili singularis memoria, summa scientia. quibus uerbis significauit, hanc primam & præcipuam Trebatii esse laudem: ceteras ei cum multis fortasse communes: hoc esse ipsius pene proprium bonum. Deinde libro quarto de finibus: ubi Catonem alloquens: Sed primum illud, inquit, uide: grauissimam illam uestram sententiam, quæ familiam ducit, honestum quod sit, id esse solum bonum, honesteq; uiuere, bonorum finem: communem fore uobis cum omnibus, qui in una uirtute constituunt finem bonorum. Et quinta oratione in Antonium. Lucius quidem frater eius, utpote qui peregre depugnauit, familiam ducit.

In bonorum comparatione dissensio inter Platonem & Aristotelem indicata. Cap. XVIII.

INTER multas ac uarias bonorum diuisiones quas ab antiquis sapientibus accepimus, hæc quoque tradita est. Bonorum partim fuapte tantũ ui expeti: neque usquam aliò referri: alia & per se, & aliorum caussa, quæ ex ipsis efficiantur, desiderio esse: nonnulla etiam, cum in se nihil expetendum habeant, aliorum modo gratia amari. Primi generis est uoluptas. neque enim eã propter aliud expetimus. ipsa per se, à quocunque sentiri potest, ei desiderium incutit sui. in secundo ordine sensus collocari licet. quos & per se, & propter uitæ commoditates diligimus. sed & ualetudinis ac uirium firmitas eundem in numerum coniici potest. Tertiæ, ut ita dixerim, classis sunt laboriosæ exercitationes corporum, sectiones uenarum, adustiones quarundam partium, amarorum medicamentorum sumptiones. quæ omnia, & eodem de genere alia, eo tantum expetuntur, quod ad aliud quippiam conducere putentur. Hac igitur tripertita distributione proposita: utri superiorum generum debeatur principatus, (nam tertium quidem in hoc se certamen non offert) non conuenit inter principes philosophorum. Plato enim principio secundi πολιτειῶν Socratem ei generi, quod secundo loco posuimus, τὰ πρωτεῖα adiudicantem facit. quod enim duobus nominibus

minibus expetitur, melius esse, quàm quod uno tantum. At Aristoteles à magistro dissentiens, id summe bonum es se definit, quod tantum propter se, nullo autem modo pro pter aliud expetatur. Finem enim omnium optimum esse. Itaque ut in quodque ὁ τοῦ τέλους λόγος maxime conueniat, ita id optimum ac præstantissimum esse. Finis autem proprium est, cum ad eum pertineant cetera, ipsum nusquam aliò dirigi. Hunc nodum dissoluent ii, qui Platonem & Aristotelem ubique συμφωνεῖν uolunt. ego quidem, quid mihi tenendum sit, non ualde dubium habeo.

De loco quodam ex oratione in Pisonem, aduersus Petrum Victorium. Cap. XIX.

Recte emendatus est locus Ciceronis ex oratione in Pisonem, ubi de rationibus à Pisone ipso ad ærarium relatis agitur, & Plautinus hic è Trinummo uersus adducitur,

Ratio quidem hercle apparet: argentum ὄιχεται.

nam quod Budæus, deceptus corruptis antiquæ scripturæ uestigiis, putauit, legendum esse, Ratio quidem hercle apparet: argentum decoctum ὄιχεται: id ipsa carminis ratio manifesto repudia. Tota enim illa pars apud Plautum trimetris iambicis constat: qualis hic quoque est: qui plane corrumpetur, si uocem illam inferseris. Quare non illi peccarunt, qui eam sustulerunt: sed ii peccant, qui peccasse illos putant. Nam quòd Petrus Victorius (is enim se corruptæ illius scripturæ defensorem professus est) pro firmo ac solido argumento attulit, Græcos ueteres semper adiungere eo modo participium aliquod ad uerbum ὄιχεται: miror equidem, homini accurate & diligenter uersato in Græcis litteris, earumq́; , ut res ipsa loquitur, in primis intelligenti, quicquam ita perspicue falsum excidisse. neque uero nego, id eos interdum ac sæpe facere: sed interdum etiam, ac non minus sæpe aliter eo uerbo uti, sexcentis exemplis, si opus sit, me docere paratum esse profiteor. Aliquot proferam: ne Victorii auctoritas quempiam inducat.

Homerus. Ὡς μὲν Τηλεμάχῳ ὁ μὲν οἴχεται· αὐδὴ οἱ ἄλλοι
Εἶδ', οἵ κεν κατὰ δῆμον ἀλάλκοιεν κακὸ τητα.

Aeschylus. Τοιόνδ' ἄνθος περσίδος αἴας
Οἴχεται ἀνδρῶν.

Sophocles. Ἰὼ, ἰώ. δύσνυκτος οἴχομαι τάλας.

Theognis. Ὤχετο μὲν πίστις μεγάλη θεός.

Euripides. Μάτηρ μὲν οἴχεται,
Δίδυμοί τε Διὸς ἐκ εὐ-
δαιμονεῖ τέκεα φίλα.

Idem. Νεφέλης λέγεις ἄγαλμα; ἐς αἰθέρ' οἴχεται.

Idem. Αλλ' ἐξέδραμον. καὶ πόλις μὲν οἴχεται,
Ψυχὴ δ' ἐσώθη.

Idem. Βέβακα δύσπτοτος. οἴχομαι
Α τάλαιν', ἃ δυσυχεσάτῳ προσέπεσα κλήρῳ.

Plato Parmenide. ἄρτι γὰρ ἐνθένδε οἴκαδε οἴχεται. Idem Hippia maiore. ἐκεῖνο μὲν τοίνυν οἴχεται, τὸ δυνατόν τε καὶ χρήσιμον ἁπλῶς εἶναι καλόν. Aristophanes. Αὕτη μὲν ἡμῖν ἡ πίτυιπος οἴχεται.

Aristoteles. Αλλ' οἴχεται τὸ ἓν καὶ τὸ ὅλον ἐκ τῆς θεωρίας. Lucianus. δὶς κατηγορημένῳ. Δοκνον χρὴ αὐτίκα μάλα παρεσάναι συμείροντα τοὺς χρησμὲς, ἢ οἴχεσθαί σοι τὴν δόξαν τῆς τέχνης. Plutarchus περὶ εωϊκῶν ἐναντιωμάτων. Οἴχεται γὰρ ἡ τάξις, εἰ πάντων ἐν πᾶσι μεταλαμβάνειν δεήσει. Sed mihi facile fuerit uel iustæ magnitudinis librum ex eiusmodi exemplis conficere: nisi sic quoque uerear, ne qui hæc legent, in re satis aperta plus satis immoratum esse me iudicent. cuius tamen rei in me culpa non hæret. non enim qui diligenter falsa conuincit, sed qui indiligenter ea pro ueris prodit, culpandus est.

Genus loquendi, quo telum manu fugisse dicitur, quomodo Græce exprimatur. Cap. XX.

Si telum manu fugit. His uerbis in lege XII. emissi teli significata erat imprudentia: ut in tertio de oratore scriptum est. quæ tralatio cum à Crasso tantopere commendetur: egoq́; ei geminam in Græco sermone repererim: facturus operæ precium uideor, si eam indicarim. Apud Euripidem igitur Orestes, cum exponeret, quemadmodum

à se

à se interfecta mater esset: multisq; uerbis exprimeret, quàm doleret, tam sæuum & immane facinus suis esse manibus perpetratum: Illa, inquit, clamabat, genæ meæ manus admouens: Filium obtestor meum: pendebatq; è maxillis meis: cum interea telum manus meas reliquit. Versus hi sunt.

Βοὰν δ' ἔλασκε τάνδε, πρὸς γένυν ἐμὴν
Τιθεῖσα χέρας.
Τέκος ἐμὸν λιταίνω.
Παρηίδων τ' ἐξ ἐμῶν
Ἐκριμνᾶϑ'. ὥστε χέρας ἐμὰς λιπεῖν βέλος.

Non dissimili autem modo effugere dicunt ea uerba, quæ parum considerate proferuntur. Homerus.

Τέκνον ἐμὸν, ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων;

pro quo latini dicunt, excidere aut etiam profluere. itaque, ut alibi retulimus, Homericum illum uersum ita uetus poeta interpretatus est Liuius.

Mea puera, quid uerbi ex tuo ore profluit?

MARCI

M. ANTONII MVRETI
AD HIPPOLYTVM ESTENSEM
S. R. E. CARDINALEM
ILLVSTRISSIMVM,
VARIARVM LECTIONVM
LIBER QVINTVS.

Insularum fortunatarum descriptio, & situs. Cap. 1.

PRODITVM est à ueteribus poetis, esse quasdam in Oceano insulas, ad quas post mortem deferantur eorum animi qui sanctè religioseq; uixerint. ibi eos inter se iucundissime ac suauissime uiuere, in amœnissimo quodam prato, quod gemmea florum oculis naribusq; gratissimorum uarietate perpetuo distinctũ picturatumq; sit. nunquam non illic nitere cælum, frondere arbores, pubescere herbas, ridere omnia. spirare assidue mollissimos fauonios, quorum flabellis arborum comæ leniter uentilatæ, placidissimo murmure auribus blandiantur. eò accedere innumerabilem uim ac copiam immortalium auicularum, quæ usque & usque liquidissimos cantus tenui gutture funditantes, intimos audientium sensus incredibili uoluptate permulceant. pratum ipsum perennibus riuulis uarie interse cari, quorum aquula nitidissima ad uersicolores lapillos molliter fracta & allisa susurrum efficiat dulcissimum. ita, quà flosculorum ambrosios odores exhalantium suauitate, quà zephyrorum uiridantibus arborum ramis illudentium sibilo, quà uolucrum concentibus, quà blando murmurantium riuulorum strepitu beatas illas mentes indesinenter hilarari. ergo alios ad Orphei, Amphionis ue lyram choreas agere, alios psallere, alios corollas texere,

alios in herba fusos, quà tellus tremulis lauro rum ac myr torum opacatur umbraculis, iucundissimos sermones cõ serere. humum ipsam opum suarum prodigam, sine ullo cultu, ter quotquot annis, ubertate summa, alimentorũ copiam eis suggerere ac subministrare. Hæc aliaq; similia de insulis illis poetæ, ut dixi, fabulantur. sed de earum situ non idem ab omnibus traditur. nam cum plærique omnes, Homerum secuti, eas in Hispaniæ finibus collocent: non desunt tamen qui Indiæ uicinas esse dicant. in primis autem mihi uisum est admirabile & absurdum, quod apud Græcum quendam grammaticum repperi, eas in Britannia esse. talem enim quandam fabulam narrat. esse in litto re eius maris, quòd insulam Britanniam alluat, homines quosdam piscibus capiendis uictitantes: qui Francis quidem pareant, neque tamen sint uectigales. Ii non nunquam in ædibus suis dormientes, audiunt uocem, qua inclamantur: sentiuntq;, pro foribus adesse multitudinem quandam hominum summa cum hilaritate plaudentium. expergefacti autem, & domo exeuntes, neminem quidem conspicantur: naues tantum quasdam reperiunt, non suas, quas, ex ipso strepitu, uectorũ plenas esse intelligunt. subeunt igitur illas, &, ex consuetudine, remigant Britanniam uersus. et quò alioqui ne uelis quidem passis, secundo uento, suis nauibus peruenire breuiore quàm quatuor & uiginti horarum spatio solent: eò tum unica, eaq; non longa, remigatione deferuntur. ibi incognitos illos uectores exponunt. cumq; neminem ommino uideant, sentiunt tamen ingentem concursum fieri ad litus, hominum congratulantium iis qui recentes uenerunt, eosq; maxima cum lætitia excipientium. audiunt etiam eos inter se humanissime consalutantes: cum alius alium proprio nomine, alius à tribu, alius ab artificio, alius etiam gentis ac cognationis nomine appellet. tum iisdem illis nauibus conscensis, qua celeritate uenerant, eadem reuehuntur domum. Quinetiam à quodam historiæ scriptore proditum est, C. Iulium Cæsarem eò aliquando una triremi cum centum hominibus delatum: cumq; incredibili loci amœnitate captus,

ptus, sedes ibi capere uellet, ab illis δειδίσιν incolis inuitum & reluctantem eiectum esse.

Tibulli uersus illusttatus. Cap. II.

SVPERIORE anno edidi scholia quædam in Tibullum: &, quantum licuit per angustias temporis, perq; occupationes, quibus distinebar, operam dedi, ut mea industria poeta ille & emendatius legi, & minore negocio intelligi posset. multos enim locos deprauatos restitui, obscuros declaraui: non nullos etiam, qui integri putabantur, mancos ac mutilos osse indicaui: ne quem obducta forte cicatrix falleret. sed, inter cetera, cum uersus illi è libro secundo ita legerentur:

Ludite. iam nox iungit equos: currumq; sequuntur
Martis lasciuo sidera fulua choro:

admonui, non, Martis, sed, Matris, legendum esse. ipsam enim Noctem, matrem siderum dici. Hoc nullo tum testimonio confirmandum ratus sum: quòd neminem putabam ita stolidum fore, qui non statim illius emendationis boni tatem ac ueritatem perspiceret. Nunc, cum uideam, reperiri quoldam usque eò ἀμύσους, ut negent, satis lepide dici posse Noctem siderum matrem: ideoq; ad illam uulgatam scripturam defendendam inepta quædam de Martis sidere comminiscantur: uisum est testari, primum in libro uetere, qui penes me est, Matris, non, Martis, legi: deinde ita etiam locutum Euripidem: ac Noctem siderum alumnam uocasse. ita enim apud eum Electra loquitur.

Ω νὺξ μέλαινα, χρυσέων ἄστρων τροφέ. id est.
Nox aureorum furua alumna siderum.

sed & alia, quæ idem confirmarent, afferre quamlibet multa possem: nisi hoc satis superq; fore arbitrarer.

Virgilii uerſus, in quo Ciceronem imitatus uideri poteſt. Cap. IIII.

MVLTA ſumpſiſſe Virgilium non à poetis modo, qui ante ipſum fuerant, uerumetiam ab iis, qui ſoluta oratione ſcripſerant, notum eſt. quare facile crediderim, uerſum illum è ſecundo Aeneidos,

Quanquam animus meminiſſe horret, luctuq́; refugit,

è Cicerone imitatum eſſe. ita enim ille oratione XIIII. in Antonium ſcripſerat. Refugit animus P. C. eaq́; formidat dicere, quæ L. Antonius in Parmenſium liberis & coniugibus effecerit.

Platonis in Hippia maiore emendatus locus. Cap. IIII.

APVD Platonem in Hippia maiore, cum ſophiſtes ille de cuius nomine dialogo impoſitum nomen eſt ter iam τὸ καλὸν definire conatus eſſet: neque tamẽ attuliſſet quicquam, quod non Socrates falſum & abſurdum eſſe docuiſſet: ita denique loquens inducitur. ponam autem uerba Platonis, ita ut uulgo leguntur: deinde Marſilii interpretationem ſubtexam: tum demum, quia ea deprauata eſſe exiſtimo, oſtendam, quomodo corrigenda, quoque modo interpretanda uideantur. Platonis igitur hæc ſunt. Ιπ. Ἐγώ-σοι ἐρῶ. ζητεῖν γάρμοι δοκεῖς, τοιοῦτόν τι τὸ καλὸν ἀποκρίνασθαι, ὃ μηδέποτε αἰσχρὸν μηδαμῇ μηδενὶ φανεῖται. Σω. Πάνυ μὲν ἓν ὦ Ἱππία, καὶ καλῶς γε νῦν ὑπολαμβάνεις. ἄκουε δή, πρὸς γὰρ τοῦτο ἴσθι ἑαυτὸς ἔχων ὅ, τι ἀντείπῃ, φάναι ἐμὲ μηδ' ὁτιοῦν ἐπαινεῖν. λέγε δὴ ὡς τάχιστα πρὸς θεῶν. quæ Marſilius ita interpretatur. Hip. Dicam equidẽ. requirere nanque mihi uideris tale quiddã pulchrũ reſpondere, quod nũquã alicui turpe uideri queat. Soc. Omnino ò Hippia, recte nũc accipis. audi modo, & uide ſi quis cõtra hoc obiicere poſsit, dicereq́; nihil me laudare poſſe. dic per deos cito. Ego uero primum male diſtinctã eſſe perſonis orationẽ exiſtimo: deinde, non ἐπαινεῖν, ſed ἐπαΐειν lego. deſcribam autem

tem eam tantum partem, in qua uitium ineſſe arbitror.

Σω. Πάνυ μὲν ἓν ὦ Ἱππία, καὶ καλῶς γε νῦν ὑπολαμβάνεις. Ιπ. Ἄκουε δή. πρὸς γὰρ τοῦτο, ἴσθι, ἑαυτὸς ἔχων, ὅ, τι ἀντείπῃ, φάναι ἐμὲ μηδ' ὁτιοῦν ἐπαΐειν. Σω. λέγε δὴ ὡς τάχιστα πρὸς θεῶν. Iam totum locum hoc modo interpretor. Hip. Ego dicam tibi. uideris enim mihi quærere, quomodo tale aliquid pulchrum eſſe reſpondeas, quod nullo unquam modo cuiquam turpe eſſe uideatur. So. Plane ò Hippia. rectę tu quidem nunc putas. Hip. Auſculta igitur. aduerſus id enim, quod nunc afferam, ſi quis, quod dicere poſsit, habeat, ſcito me faſſurum, nullius me omnino rei narum atque intelligentem eſſe. Hanc ego interpretationem ueriorem puto. cum autem & Platonis auctoritas tanta ſit: & Marſilii conuerſio merito ab omnibus magni fiat: non male mihi operam nauare uideor, cum, quæ minus bene ab eo reddita putem, indico. neque uero id facio, quòd de ipſo parum magnifice ſentiam. potius ex eo intelligi uolo, eum à me in bonorum & eruditorum interpretum numero haberi. nam ni ita eſſet, nunquam ſane ipſum tanti facerem, quid bene aut male uertiſſet.

Emendatus locus è Ciceronis agrariis. Cap. V.

CICERONIS in Rullum hæc uerba ſunt, ubi eum cum Cn.
„ Domitio comparat. Ille, quod dari populo nullo modo
„ poterat, tamen quodammodo dedit. hic, quod adimi nul
„ lo pacto poterat poteſtate, quadam ratione eripere conatur. quæ ſi emendate leguntur, neceſſe eſt, ibi Cicero dixerit, poteſtate, id quod alibi, pro poteſtate, aut, per poteſtatem, dicere conſueuit. Sed ego quidem eam ſcripturam uitium in ſe continere arbitror: neque admodum du-
„ bito, quin ita legendum ſit. Hic, quod adimi nullo pacto
„ poterat, poteſt ue, quadam ratione eripere conatur. Nõdum tamen mihi contigit, quemquam ueterem librum uidere, qui coniecturam meam confirmaret. ſed facile in eo labi potuiſſe librarios, nemo, ut opinor, non uidet.

Plautinæ

Plautinæ Stichi principium emendatum, & distinctum. Cap. VI.

CVM multa mihi impedimento sint, ne possim Plautum à me emendatum tam cito, quàm speraueram, edere: constitui interea inspergere libris meis non nullos eius poetæ locos, eosq; quomodo legendos arbitrer, exponere: ut & aliquem gustum dem conatus mei, &, iuxta præceptum Hesiodi, σμικρὸν ἐπὶ σμικρὸν καταθέμενος, paulatim totum opus absoluam. neque uero me pigebit, Apellis exemplo, si quis quid monuerit, in quo peccasse uidear, errorem corrigere, & quod rationi magis consentaneum uidebitur, id amplecti. quin id ab eruditis & harum rerum intelligentibus hominibus in magni beneficii loco etiam atque etiam peto, ut qua tum libertate, tum moderatione alienos à me errores detegi uident, eadem ipsi meos detegant: ut sine ulla maledicentia studia harum uere ingenuarum artium adiuuentur. Nunc igitur principium Stichi, quod in omnibus libris corruptissime legitur, describam ita, uti legendum censeo. in quo optima fide affirmare possum, uoculas aliquot, quas sustuli, auctoribus antiquis libris esse sublatas. in ordine ipso uerborum, & in uersibus distinguendis, fateor, me coniectura tantummodo esse usum. cum enim quidam homo eruditus tradidisset, uersus illos esse numeris permistis, τριμέτρους, & διμέτρους, ἀκαταλήκτους, καταληκτικοὺς, & βραχυκαταληκτικοὺς, putaui hanc confessionem potius quandam esse ἀμηχανίας, quàm certi atque explorati iudicii professionem. itaque qui omnes senarios esse crederem, ita distinxi.'

PANEGY. Credo ego miseram fuisse Penelopam soror,
Ex animo, quæ tamdiu suo caruit uiro.
Nam nos eius animum de nostris noscimus.
Quarum uiri nunc hinc absunt: quorumce nos
Negociis, ut æquom est, absentium
Solicitæ

Solicitæ noctes & dies soror sumus.
PINAC. Semper nostrum officiũ nos facere æquomst. neque
Id faciemus magis, quàm nos pietas monet.
Sed hic mea soror assis: multa dum uolo
Tecum loqui de re uiri. PA. Saluæ ne amabo?
PI. Spero quidem, & uolo: sed hoc crucior soror:
Patrem tuum, meumq;, adeo qui unus unice
Ex omnibus perhibetur ciuibus probus,
Eum nunc improbi officio fungi uiri.
Tantas uiris qui absentibus nostris facit
Iniurias immerito: nosq; abducere
Ab iis uolt. hæ res uitæ me saturant soror:
Hæ mihi diuidiæ & senio sunt. PA. ne lacruma
Soror: ne ue tuo id animo fac, tibi quod tuus
Minatur facturum pater. spes est, eum
Melius facturum. noui ego illum. istæc ioco
Dicit. neque ille mereat Persarum sibi
Montes, qui esse perhibentur aurei, istud ut
Faciat, quod tu metuis. et, si faciat, tamen
Minime irasci decet. neque id immerito eueniet.
Nam tertius hic est annus, ut nostri domo
Viri abierũt. PI. ita ut memoras. PA. cũ ipsi interea,
Viuãt, ualeãt, ubi sint, quid agant, ecquid ue agant,
Neque participãt nos, neque redeũt. PI. an id doles
Soror, quia illi officium non colunt suum,
Cũ tuum facis? PA. ita pol. PI. tacesis. caue audiam
Ego istuc posthac ex te. PA. nam quid iam? PI. quia
Pol meo animo sapientis officium suum (soror,
Aequomst colere, & facere. quamobrẽ ego te hoc
Tametsi es maior, moneo, ut memineris tuum.
Et si improbi sint illi, atque aliter nos faciant,
Quàm æquomst, tamen, ne quid malis obnoxiæ
Simus, opibus omnibu' nostrũ officium nos decet
Meminisse. PA. placet. taceo. PI. at, ut memineri', facito.
PA. Nolo ego soror, me credi esse immemorem uiri.
Neque ille h onores mihi quos habuit, perdidit.
Nam pol mihi grata acceptaq; huiust benignitas.
Et

Et me quidem hæc condicio nunc non pœnitet.
Neque est, cur studeam has nuptias mutarier.
Verum postremo in patri' potestate est situm.
Faciendum id nobis, quod parentes imperant.
PI. Scio. atque cogitando, mærore augeor.
Nam propemodum iam ostendit suam sententiam.
PA. Igitur quæramus, nobis quid facto usu' sit.

Quæso autem, si qui reprehendere hæc uolent, ut prius diligenter & accurate cõsiderent. nolim enim me ita reprehendi, ut in refutandis temerariis reprehensionibus nouus mihi capiendus sit labor.

Adonin Dianæ ira interfectum. Cap. VII.

DIANA apud Euripidem in Hippolyto coronato, indigne ferens honestissimi adolescentis mortem, cuius culpa omnis in Venere hærebat, minatur, eam non impune laturam. nam se quoque interfecturam aliquem, qui Veneri eximie carus sit, ut ipsam pari dolore afficiat.

Εγὼ γάρ, inquit, αὐτῆς ἄλλον ἐξ ἐμῆς χερὸς,
Ος ἂν μάλιστα φίλτατος κυρεῖ βροτῶν,
Τόξοις ἀφύκτοις τοῖς δε τιμωρήσομαι.

quem locum declarans scholiastes: Sunt, inquit, qui putent, obscure significari Adonin. sed nugari hoc quidem est. neque enim Dianæ sagittis, sed à Marte, interfectus est Adonis. quem igitur dicat, obscurum est. Hæc ille. Apollodorus tamen, non malus harum quidem rerum auctor, libro tertio bibliothecæ, Ἄδωνις, inquit, ἔτι παῖς ὤν, ἀρτέμιδος χόλῳ πληγεὶς ἐν θήραις ὑπὸ συὸς, ἀπέθανε.

Confirmatæ duorum locorum Ciceronis emendationes à Petro Victorio factæ. Cap. VIII.

RECTE iudicauit Victorius, locum illum è secunda Ciceronis Philippica ita legi debere, ut in multis antiquis libris

bris, & in Manutianis legitur. Illam suas res sibi habere iussit: ex XII. tabulis claues ademit, exegit. non, ut in aliis, Caussam addidit, exegit. Nam & Nonius Marcellus aperte id confirmat, qui in libro de uaria significatione sermonum: cum dixisset, exigere idem esse, quod excludere: M. Tullius, inquit, Philippicis lib. II. Claues ademit, forasq; exegit. Illud autem, forasq;, an recipiendum sit, alii uiderint. mihi quidem non displicet. quamuis non legitur in ueteribus libris, quos ego quidem uiderim. Sed & aliam cõiecturam eiusdem Victorii de loco quodam è primo libro accusationis, siue ex actione secunda in Verrem (ita enim liber ille citandus est: non ut à Victorio, qui, accommodans, credo, se ad consuetudinem uulgi, septem facit actiones in Verrem, cum sint tantum duæ) eam igitur coniecturam non inanem fuisse, idem grammaticus ostendit. Cum enim uulgo ita legatur: Quod ubi est Philodamo nunciatum, tametsi non erat ignarus, &c. Victorius admonet legendum, tametsi non erat gnarus. apud Nonium autem paulo aliter legitur, sed eadem plane sententia: nempe hoc modo: Tametsi erat ignarus. Has igitur doctissimi hominis coniecturas ueteris grammatici auctoritate confirmare, operæprecium duxi.

Emendati loci aliquot è Mostellaria Plauti. Cap. IX.

APVD Plautum in prima Mostellaria lepidissimum colloquium est duorum seruorum, Grumionis rustici, qui, absente sene, herilem filium corrumpi, remq; familiarem dissipari doleret: & Tranionis, nequam hominis, qui hero adolescentiori esset uoluptatum ac libidinum administer. sed ea tota pars & in omnibus libris corrupte legitur, & in iis, quos Ioachimus emendauit, corruptissime. Nunc igitur libet locos aliquot emendare: cetera alias, cum uidebitur. ubi ergo Grumio ita minitans dicit:

Augebis ruri numerum, genus ferratile: legendũ est:
Augebis ruri numero genus ferratile.

genus enim ferratile uocat seruos, qui ruri in compedibus agerent: atque id genus numero, id est, breui, nempe cum redierit senex, à Tranione auctum iri ait. Aliquot uersibus post, ubi ita loquitur Tranio:

Quid tibi, malum, mea, ut quid ego agam, curatio est?

legi debet:

Quid tibi, malum, me, aut quid ego agam, curatio est?

ita enim dictum est, ut illud, quid tibi hanc tactio est? ille autem uersus,

Meum bonum me, te tuum maneat malum,

à Grumione dicitur, hoc sensu. Non recuso, quominus ego nunc duriter uiuam, tu laute, & opipare: dum me quidem maneat bonum meum, te uero maneat malum tuum, cum uenerit senex. Vnum etiam mendum tollam: cetera in aliud tempus reiiciam. In libris Ioachimi ita leguntur hi uersus.

Quid est? quid tu me nunc obtuere furcifer?

GR. Pol tibi istuc credo nomen actutum fore.

TR. Dum intereas, sic sit istud actutum sino.

postremus autem eorum ita legendus est:

Dum interea sic, sit istud actutum: sino.

est enim hæc oratio hominis præsentia tantum spectantis, futura negligentis. Dum, inquit, interea sic sit, ut nunc est, quid actutum futurum sit, non laboro.

Ciceronis locus conuersus è Chrysippo. Cap. x.

QVOD apud Ciceronem libro secundo de natura deorum, de societate, quam parandi cibi gratia ineat pinna cũ parua squilla, è Chrysippo sumptum esse arbitror: eo magis, quòd ibi Balbum de Stoicorum sententia disputantem facit: ut credibile sit, magnam partem illius disputationis non aliunde potius, quàm è Stoicorum libris esse haustam. Sunt autem Ciceronis uerba hæc. Pinna uero (sic enim
„ græce dicitur) duabus grandibus patula conchis, cum par
„ ua squilla quasi societatem contrahit comparandi cibi.

Itaque

„ Itaque cum pisciculi parui in concham hiantem innatauerint, tum admonita à squilla pinna morsu, comprimit con
„ chas. sic dissimilibus bestiolis communiter cibus quæritur. In quo admirandum est, congressu ne aliquo inter
„ se, an iam inde ab ortu natura congregatæ sint. Neque nõ eam coniecturam adiuuat, quòd hanc ipsam societatem exponi facit à Catone, libro tertio de finibus: ubi etiam Stoicorum placita defendebat: ut plane uideatur hoc Stoicum quiddam esse. Chrysippus autem libro quinto περὶ καλοῦ καὶ ἡδονῆς ita scripserat. Ἡ αἰννη, καὶ ὁ πιννοτήρης συνεργὰ ἀλλήλοις, κατ' ἰδίαν ἃ δυνάμενα συμμένειν. ἡ μὲν γὰρ αἰννη πίννην ὄστρεόν ἐστιν. ὁ δὲ πιννοτήρης καρκῖνος μικρὸς. καὶ ἡ πίννη διασήσασα τὸ ὄστρακον ἥσυχάζει, τηροῦσα τὰ ἐπεισιόντα ἰχθύδια. ὁ δὲ πιννοτήρης παρεσῶς, ὅταν εἰσέλθῃ τι, δάκνει αὐτὴν, ὥσπερ σημαίνων. ἡ δὲ δηχθεῖσα συμμύει. καὶ ὅτως τὸ ἁπολαφθὲν, ἔνδον κατεσθίουσι κοινῇ. φασὶ δέ τινες, καὶ συγγεννᾶσθαι αὐτὰ αὐτοῖς, καὶ ὡς ἂν ἐξ ἑνὸς σπέρματος γίνεσθαι. Plinius quoque postea & Oppianus libro secundo idem prodiderunt.

Explicatus & emendatus locus è secundo epistolarum ad Atticum. Cap. x i.

CICERO in quadam epistola libri secundi ad Atticum, cũ scripsisset, se cupere Alexandriam & reliquam Aegyptum uisere, rogat eum postea, ut ad se scribat, quoniam Nepos proficiscitur, cui nam auguratus deferatur: Quo quidem, inquit, uno ego ab istis capi possum. addit deinde: Videte ciuitatem meam. sed quid ego hæc, quæ cupio deponere, & toto animo, atque omni cura φιλοσοφεῖν? sic, inquam, in animo. sic uellem ab initio. Hæc igitur uerba,
„ Videte ciuitatem meam, quem sensum habeant, deus ali
„ quis uiderit. Manutius ait, esse hemistichium ex ueteri poeta in miserabilem ciuitatis aspectum. ego locum corruptũ esse opinor, & ita legendum, Vide leuitatem meam. plane enim leuitatem quandam & inconstantiam consiliorum suorum tota illa epistola indicat Cicero. fieri autem potest, ut ex, uide le, factum sit, uidete. deinde illud, uitatem, quod nihil significaret, transierit in ciuitatem.

Virgilii uersus ex Aeschylo imitati. Cap. XII.

PRAECIPERE ac præsumere oportere sapientem omnia, quæ homini acerba & grauia accidere possunt: taliq; præmeditatione leuiora illa, & perpessu faciliora effici, disputatum est copiose à Cicerone, libro quarto Tusculanarũ, allatiq; uersus Euripidis è Theseo, & Terentii è Phormione, quibus id confirmaretur. Virgilius autem Aeneæ suo, quem omnis uirtutis exemplar esse uoluit, ut ceteras laudes, ita hanc quoque tribuit: cum eum his uerbis de se utentem fecit.

= non ulla laborum,
O uirgo, noua mihi facies, inopina ue surgit.
Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi.

qui quidem uideri non immerito possit hoc ex Aeschylo sumpsisse, apud quem Prometheus ita loquitur.

Καίτοι τί φημι; πάντα προὐξεπίσαμαι
Σκεθρῶς τὰ μέλλοντ'. οὐδέ μοι πολαίινον
Πῆμ' οὐδὲν ἥξει. id est.
Quanquam quid aio? cuncta prænoui optime
Futura. nec uentura calamitas mihi
Inopina quisquam est.

Ennii hemistichium ex Euripide. Cap. XIII.

CICERO libro secundo de finibus aduersus Epicureos disputans, qui summam uoluptatem detractione omnis doloris terminabant: Hoc, inquit, dixerit potius Ennius:

= nimium boni est, cui nil mali est.

nos beatam uitam non depulsione mali, sed adeptione boni iudicemus. quanquam autem non exprimit, ubi id Ennius dixerit: facile tamen crediderim, esse hoc hemistichium ex Hecuba: idq; Hecubam ipsam pronunciasse. apud Euripidem certe infelix anus exemplo suo docet, inani

ania esse bona illa, quæ plerunque in animis hominum superbiam pariant. eum itaque felicissimum habendum, cui nihil eo die obtingat mali. uersus hi sunt.

= κεῖνος ὀλβιώτατος,
Οτῳ κατ' ἦμαρ τυγχάνει μηδὲν κακόν.

Falsum argumentum allatum esse ab A. Gellio ad ostendendum, inter Platonem & Xenophontem aliquid simultatis intercessisse. Cap. XIIII.

A. GELLIVS libro XIIII. noctium Atticarum, aliquot argumenta collegit, quibus doceret, inter Platonẽ & Xenophontem nescio quid occultæ simultatis intercessisse. multo plura autem, & multo accuratius exposita apud Athenæum libro undecimo leguntur. sed eorum, quæ posuit Gellius, primum falsum esse, comperi. ait enim, neque à Platone Xenophontis, neque contra à Xenophonte Platonis ullam unquam factam esse mentionem: cum tamen uterque complurium Socratis sectatorum meminerit. Ego autem, ecquid Plato Xenophontem usquam nominauerit: non sane pronunciare ausim. apud Xenophontem quidem libro tertio ἀπομνημονευμάτων, Platonem nominari uideo. Narrat enim Xenophon, Glauconem Aristonis filium, qui ad populum uerba facere, & remp. gerere cuperet, cum annos uiginti nondum haberet, sæpe ob id delusum, & detractum è suggesto: neque tamen amicorum ac domesticorum precibus à tam temerario incepto eum reuocare cupientium obtemperantem, destitisse tandem Socratis auctoritate adductum. Socratem autem ei amicum fuisse ait propter Charmidem Glauconis filium, & propter Platonem. Γλαύκωνα δὲ, inquit, τὸν Ἀρίστωνος, ὅτ' ἐπεχείρει δημηγορεῖν, ἐπιθυμῶν προσατεύειν τῆς πόλεως, οὐδέπω εἴκοσι ἔτη γεγονὼς, ὄντων ἄλλων οἰκείων καὶ φίλων, οὐδεὶς ἐδυνάτο παῦσαι, ἀλκόμενόν τε ἀπὸ τοῦ βήματος, καὶ καταγέλαστον ὄντα. Σωκράτης δὲ ἔυνους ὢν αὐτῷ διάτε Χαρμίδην τὸν Γλαύκωνος, καὶ διὰ Πλάτωνα, μόνος ἔπαυσεν.

Secundam

Secundam fortunam difficile ferri, multorum grauium ſcriptorum teſtimoniis confirmatum. Cap. XV.

GRAVEM admodum ſententiam Gobryæ Xenophon dedit: quamq; quotidiana experientia ueram eſſe declarat. Difficilius uidelicet reperiri qui ſecundam, quàm qui aduerſam fortunam bene ferant. Secundis enim rebus inſoleſcunt plærique homines, & efferuntur: aduerſis omnes ad temperantiam moderationemq; reuocantur. id quod ille expreſsit his uerbis. Δοκεῖ δέμοι, ὦ Κῦρε, χαλεπώτερον εἶναι εὑρεῖν ἄνδρα τ' ἀγαθὰ καλῶς φέροντα, ἢ τὰ κακά. τὰ μὲν γὰρ ὕβριν τοῖς πολλοῖς, τὰ δὲ σωφροσύην τοῖς πᾶσιν ἐμποιεῖ. M. autem Cato ille censorius, etſi à Xenophonte, ut opinor, non hauſerat, ut qui à Græcis litteris abhorreret: prope tamen idem dixerat in oratione pro Rhodienſibus. ex ea enim citãtur hæc.

„ Aduerſæ res ſe domant, & docent, quid opus ſit facto: ſe-
„ cundæ res lætitia tranſuorſum trudere ſolent à recte con-
„ ſulendo atque intelligendo. Itaque non ſine cauſſa dictum eſt ab Horatio:

= bene ferre magnam
Diſce fortunam. &,
Aequam memento rebus in arduis
Seruare mentem: non ſecus in bonis
Ab inſolenti temperatam
Lætitia. &
Rebus anguſtis animoſus atque
Fortis appare. ſapienter idem
Contrahes uento nimium ſecundo
Turgida uela.

aliaq; multa eodem pertinentia. Non paucos enim fortuna, quos aduerſa nõ mouerat, propitia perculit. multisq; contingere uidemus id, quod Tantalo contigiſſe ait Pindarus: quem ait nequiiſſe concoquere felicitatem ſuam. εἰ δὲ δὴ τιν' ἄνδρα θνατὸν ὀλύμπιος σκοποὶ ἐτίμασαν, ἦν Τάνταλος ἕτος. ἀλλὰ γὰρ καταπέφαυ μέγαν ὄλβον ἃκ ἐδωάδη.

Ebrii

Ebrii nomen ad alia quædam à uino eleganter tralatum. Cap. XVI.

INFATVATVM proſperis rerum ſucceſsibus Cleopatræ animum eleganter admodum ac ſignificanter expreſsit Horatius, cum eam dulci fortuna ebriam fuiſſe dixit. Pari autem elegantia olim Euripides, cum induceret Electran cõquerentem de contumeliis quas patri ſuo mortuo imponeret Aegyſthus, fecit ipſam dicentem, ea omnia illum Clytemneſtra ebrium facere. Ita enim loquitur.

Μέθη δὲ βρεχθεὶς τῆς ἐμῆς μητρὸς πόσις
Ὁ κλεινὸς, ὡς λέγουσιν, ἐν θρώσκει τάφῳ,
Πέπροις τε λεύει μνῆμα λάϊνον πατρός.

quam ad formam nos quoque haud ita pridem in ode quadam ad Anaſtaſium Iusbertum Melchioris F. adoleſcẽtem eleganti ingenio, moribusq; optimis præditum, ita cecinimus.

= non didicit modum
Seruare, nec ſe legibus alligat,
Sed ſemper impermiſſa quærit
Immodico ebria mens amore.

Horatiana quædam genera loquendi è Græco expreſſa. Cap. XVII.

CVM multa & in his libris & in aliis loquendi genera notauerim, quæ Horatius à Græcis poetis mutuatus eſt, uideor mihi conuenienter inſtituto meo conſuetudinique; facturus, ſi plura etiam notare perrexero. nam & de meipſo cõiecturam faciens, hanc curioſitatem meam iis qui colunt hæc ſtudia, non iniucundam fore duco: & utile puto eſſe iis, qui pangendis uerſibus laudem aliquam ſibi parare in animo habent, pernoſcere, quomodo ueteres latini poetæ græcos loquendi modos in Latium inuexerint: ut ipſi quoque, illorum exemplo, in eodem illo peregrinitatis aucupio elaborent. Ergo quod Nereus Paridi prædicens

ea

ea mala, quæ ob raptam Helenam consecutura erant, quasi iam in re præsenti uersaretur, ita loquitur:

= ecce furit te reperire atrox
Tydides melior patre:

id quisquis legit, sentit, opinor, quiddam transmarinum, neque in Romanorum consuetudine positum. Nam, furit reperire, uehemens quidem, & illustre, & euidentiæ plenum loquendi genus est: sed latinis non usitatum. est autem Euripidis, apud quem in Phœnissis, is qui enarrat, quemadmodum mutuis se ictibus Eteocles & Polynices interfecerint, ita eos mox pugnaturos describit.

Εσαν δὲ λαμπρῶ, χρῶμάτ' ἀκηλλαξάτην,
Μαργῶντ' ἐπ' ἀλλήλοισιν ἴέναι δόρυ. id est.
Steterunt coruſci, uultu eodem quo prius,
Haſtam furentes mittere alter in alterum.

neque non illud ἑλληνίζει, quòd meliorem patre dixit, cum significet fortiorem. ita enim Græci κρείσσονα, aut ἀμείνονα. ut, Μηδ' ἔθελ' ἐξ ἔριδος σεῦ ἀμείνονι φωτὶ μάχεσθαι.
& ipse alibi, Ceruus equum pugna melior. ubi etiam minorem dixit, qui uinceretur: id est τὸν ἥσσονα.

Breuitatem & obscuritatem aptam esse ad terrorem inferendum, aliquot exemplis confirmatum. Cap. XVII.

BREVITAS loquendi, & sermonis obscuritas imperiosum quiddam habet: ideoq; aptissima est minantibus utraque, mirificeq; prodest, ad animos eorum quibuscum agimus, perterrefaciendos. nam ut in tenebris magis timentur omnia, quàm in luce: sic illæ orationis quasi tenebræ terribiliora reddunt ea, quæ proponuntur. Idq;, ut opinor, secuti sunt Lacedæmonii, cum ad Philippum ita scripserunt: Lacedæmonii Philippo. Dionysius Corinthi. Multo enim fortior, &, ut Lucretii uerbo utar, penetralior illa breuitas fuit, quàm si ita dixissent. Dionysius cum aliquando præpotens tyrannus fuerit, uti tu es, nunc tamen regno exutus priuatam Corinthi uitam agit. Vide, ne, dum aliorum

rum libertatem studes opprimere, idem tibi quoque contingat. quæ iam non deterrere, sed admonere cupientium fuisset oratio. Neque dissimile illud Demetrii ad Locrenses: Faxo, cicadæ apud uos humi canant. cum significaret, totam à se illorum regionem deuastatum iri. Atœas quoque Scytharum rex hanc olim epistolam ad Byzantinos misisse fertur: Nolite uectigalibus meis detrimento esse, ne equæ meæ ad uos aquatum eant. Idanthuras autem, qui & ipse Scythis regio imperio præfuit, multo etiam obscurius. nam ad Darium, qui Istrum traiecerat, litteras quidem, quibus ei minaretur, misit nullas, sed pro litteris symbolum hoc: murem, ranam, auem, sagittam, aratrum. Cumq; hæc in Darii castris alius aliter interpretaretur: Orontopagas tribunus militum censuit significari, eos omnium rerum deditionem esse facturos. domorũ. hoc murem innuere. aquarum, aeris, armorum, regionis. harũ rerum symbola esse, ranam, auem, sagittam, aratrum. At Xiphodres longe alio modo interpretatus: Nos uero, inquit, quantum hæc symbola ostendunt, nisi aut terram subeamus, ut mures: aut aquam, ut ranæ: aut euolemus, ut aues: non effugiemus ipsorum tela. neque enim terræ, quam ipsi arant, domini sumus. Hoc Pherecydem Syrium narrare, ait Clemens Alexandrinus. Herodotus autem in Melpomene hanc ipsam historiam aliquanto aliter narrat.

Locus Virgilii aliter, quàm à Seruio, & Macrobio expositus. Cap. XVIII.

EXCESSERE omnes, adytis, arisq; relictis,
Di, quibus imperium hoc steterat.

Hos uersus, qui ab Aenea in secundo Aeneidos proferuntur, Seruius, & post eum Macrobius referendos censuerunt ad ueterem quandam Romanorum consuetudinem, qui cum obsiderent urbem hostium, eamq; iam capi posse cõsiderent, certo carmine euocarent tutelares illius deos: quòd aut aliter urbem capi posse non crederent: aut, etiã si posset, nefas existimarent, deos habere captiuos. Ego

autem, cum iis, qui hanc opinionem ſequuntur, non ſane contenderim. nam & ratione ſatis probabili nixa eſt, & à bonis auctoribus profecta. neque non tamen hanc ueriorem & ſimpliciorem puto: ea nocte, qua capta eſt Troia, apparuiſſe deos Aeneæ, exeuntes è templis, & ſimulacra ſua aſportantes. Solitas certe à diis ſuis deſeri eas ciuitates, quæ mox in hoſtium poteſtatem uenturæ eſſent, aut ſaltem eam fuiſſe ueterum opinionem, oſtendit Aeſchylus, apud quem Eteocles offenſus ſuperſtitione mulierum, quæ uagantes per templa, in tanto ciuitatis periculo, implebant omnia clamoribus, iubet eas id modo optare ac precari, ut turris ciues ab armis hoſtium protegat. quem cũ illæ interrogaſſent, undenam id, niſi à diis, futurum putaret: reſpondens ille, quaſiq; illudens, ait uulgo dici ſolitum, excedere deos, cum urbs aliqua capitur. Verſus hi ſunt è fabula, quæ inſcribitur ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας.

Ετ. Πύργον σέγειν εὔχεσθε πολεμίων δόρυ.
Χο. Οὐκοῦν τάδ' ἔσται φρὸς θεῶν; Ετ. ἀλλ' ὦ Ζεὺς
Τὰς τῆς ἁλώσης πόλεος ἐκλείπειν λόγος;

quem in locum ſcholiaſtes ait, id contigiſſe Troianis. Λέγεται γὰρ, inquit, ὅτι ὅταν ἔμελλε πορθηθῆναι ἡ Τροία, ἐφάνησαν οἱ θεοὶ τοῖς Τρωσὶν ἀνελόμενοι ἐκ τῶν ναῶν τὰ ἀγάλματα αὐτῶν. Aeneæ autem, propter ſingularem ipſius pietatem, eos potius, quã cuiquam alii, apparuiſſe, credibile eſt. Sic & Tyriorum multis, cum Tyrum Alexander Philippi filius obſideret, uiſus eſt in ſomnis Apollo dicere, ſe ad Alexandrum abire: non enim ſibi placere quæ in ciuitate fierẽt. neque ita multo poſt capta eſt Tyrus.

Illuſtratus Platonis locus ex Alcibiade primo. Cap. xx.

VRBANO & eleganti artificio uſus eſt Socrates ad reprimẽdum Alcibiadis faſtum, in eo dialogo qui inſcribitur Alcibiades primus. nam cum ſibi perſuaderet adoleſcens ille, (quod eius ætatis eſſe ingenium ſolet) abunde iam inſtructum eſſe ſe iis omnibus rebus, quæ ad adminiſtrandam remp.

remp. pertinerent, blande aggreſſus hominem Socrates, paulatim interrogando eò perduxit, ut ex ipſius reſponſionibus aperte efficeretur, eum nullam eſſe adhuc iuſti & iniuſti ſcientiam conſecutum. cumq; ægreferret quodammodo Alcibiades, & indignaretur, quòd inſcientiam ſibi exprobrari putaret: purgat ſe Socrates, affirmatq;, ſe nihil prorſus tale in eum dicere: ipſum eſſe Alcibiadem qui de ſe fateretur. Ita autem loquitur. Τὸ τῦ Ευριπίδυ ἄρα συμβαίνει ὦ Αλκιβιάδη. σῶ τάδε κινδυνεύεις, ἀλλ' ἐκ ἐμοῦ ἀκηκοέναι. ὐδ' ἐγώ εἰμι ὁ ταῦτα λέγων, ἀλλὰ σὺ. ἐμὲ δὲ αἰτιᾶ μάτην. Vſuenit, inquit, nobis ò Alcibiade, id quod ait Euripides. periculum eſt, ne tu ex te ipſo hæc, non ex me, audias. neque ego ſum huius ſermonis auctor, ſed tu. me autem fruſtra incuſas. Quæ uerba, ſi quis forte auet ſcire, quem ad locum Euripidis referantur: legat Hippolytum coronatum. ibi enim hos uerſus reperiet.

Τρ. Τί φὴς; ἐρᾷς ὦ τέκνον ἀνθρώπων τίνος;
Φαι. Ος τίς ποθ' ἕτος ἐσ' ὅ τῆς ἀμαζόνος.
Τρ. Ιππόλυτον αὐδᾷς; Φαι. σοῦ τάδ' οὐκ ἐμοῦ κλύεις.

M. ANTONII MVRETI
AD HIPPOLYTVM ESTENSEM
S. R. E. CARDINALEM
ILLVSTRISSIMVM,
VARIARVM LECTIONVM
LIBER SEXTVS.

De prænotionibus, quibus scientiarum omnium principia debentur. explicatum & correctum principium posteriorum analyticorum Aristotelis.
Cap. 1.

EORVM quæ ab hominibus aut discuntur, aut docentur, non nulla eiusmodi sunt, ut plane nullam mentis agitationem requirentia, sensu prope nitantur uno: alia, in quibus motus quasi quidam mentis necessarius est, progredientis ex uno in aliud, uiamq; sibi paulatim ex aliis ad alia munientis. etenim ubi quis, exempli caussa, saltare discit, nullo ad eam rem mentis motu indiget: tantum opus est, ut quod magistrum facientem uiderit, id ipse quoque imitari studeat, & ea quæ uidet, in memoria infigere: ut, cum uolet postea, etiam sine doctoris opera, eodem modo, atque ordine corpus mouere possit. iis autem in rebus nullum omnino mentis esse munus, uel ex eo intelligi potest, quòd talia etiam bestiæ discunt: quodq; in hominum genere non minus sæpe tardo & hebeti, quàm celeri & acuto, præditis ingenio, talium artium præstantiam contingere uidemus. at cum illa philosophiæ, ut ita dixerim, progymnasmata discimus, quæ, propter perfectionem, commune disciplinarum nomen effecerunt suum: multoq; magis, cum ad illam ipsam bonorum omnium parentem philosophiam

losophiam accedimus: ibi uero cernitur & exercetur illa uis, quam Græci, quorum fuit & doctrina maior & uerborum copia uberior, διάνοιαν, uulgares sapientiæ magistri, non usitato ueteribus, magis, quàm ad rem exprimendam non apto uocabulo, discursum nominarunt. Quod utinam ueniisset in mentem priscis illis latini sermonis auctoribus aut hoc ipso uti, aut aliud nobis quo uteremur tradere: simulq; alia quamplurima procudere, quorum ope philosophia latinis litteris explicari commode posset. præstiterat, aliquid diligentiæ, sine fuco, & sine pompa, conferre ad eam rem, quàm stultos illos non modo ante uictoriam, sed prope ante pugnam pæanas canere: & tam sæpe gloriari, ac clamare, uictam à se etiam uerborum copia Græciam: cuius ipsi lautam illam ac copiosam supellectilem non modo adæquare, sed ne contemplari quidem satis atque inspicere potuissent. sed profecto ita est, ut dicam. nulli unquam, qui res ignorarent, nomina, quibus eas exprimerent, quæsierunt. beati autem illi, & opulenti, & omnium gentium uictores Romani in petendis honoribus, & in prensandis ciuibus, & in exteris nationibus uerbo componendis, re compilandis occupati, philosophandi curam seruis aut libertis suis, & Græculis esurientibus relinquebant. ipsi, quod ab auaritia, quod ab ambitione, quod à uoluptatibus reliquum erat temporis, eius si partem aliquam aut ad audiendum Græcum quempiam philosophum, aut ad aliquem de philosophia libellum uel legendum, uel scribendum contulissent, iam se ad eruditionis culmen peruenisse, iam uictam à se & profligatam iacere Græciam somniabant. sed nos, eis omissis, pergamus id exequi, de quo dicere institueramus. Est igitur quædam διδασκαλίατε καὶ μάθησις διανοητικὴ: quædam in qua τῆς διανοίας nullum munus, nullum officium est. ad hanc nullius rei necessaria est prænotio. illa perfici, nisi antecepta aliqua & antegressa notione, non potest. è perceptis enim quibusdam & cognitis rebus moueatur ἡ διάνοια, necesse est: & ex iis ad alia quæ nondum etiam cognita sunt, feratur. atque id caussæ est, cur, summus magister, Aristoteles,

les, principio libri tertii analyticorum ſcripſerit, omnem διδασκαλίαν, & omnem μάθησιν, quæ quidem ſit διανοητικὴ, effici & exiſtere ex anticipata notione. Atque id in Geometria, ceteriſq; mathematicis facillime perſpici poteſt. etenim quem, quæſo, ordinem tenent, qui eas docent? nũ acceptum auditorem confeſtim deducunt ad ea, in quibus ui & facultate τῆς διανοίας opus eſt? minime uero: ſed primum tradunt finitiones, poſtulata, communes ſententias: quæ omnia ſine ullo (ut ita dicam) diſcurſu mens apprehendit. tum demum ueniunt ad theoremata, & ad problemata, in quibus iam ἡ διάνοια ἐνεργεῖ: quod facere nunquam poſſet, niſi eæ, quas diximus, notiones anteceſsiſſent. Semper enim (dicam Græce, quo dicam melius) τῇ τῆς διανοίας ἐνεργείᾳ ἢ νοῦς, ἢ αἴσθησις προηγεῖται. Neque non idem in ceteris artibus fieri uidemus. etiamq; tum qui ſyllogiſmo, tũ qui inductione ad aliquid probandum utuntur, eandem uiam tenent. illi enim ſumunt τὸ καθόλου, tanquam notum & exploratum iis, quibuſcum uerba faciũt: hi è ſingulis rebus, quæ notæ ſint ei, quocum diſputant, probant τὸ καθόλου. eademq; apud rhetoras exemplorum & enthymematum ratio eſt. Duo ſunt autem genera prænotionum. nam & quæ ſit cuiuſque uocabuli uis, præcognitum eſſe oportet, ante quàm accedas ad ullam διδασκαλίαν διανοητικὴν, &, quæ ponuntur in diſputando, ut ea eſſe præcognoſcatur, neceſſe eſt. duæ igitur prænotiones: τί ἐστι τὸ λεγόμενον, καὶ ὅτι ἐστὶ: quarum aliis in rebus altera tantum neceſſaria eſt, in aliis utraque. Iam poterat ex iis, quæ dicta ſunt, dubitatio quædam exoriri. Si enim diſcere eſt cognitionem alicuius rei aſſequi, quomodo fieri poteſt, ut è præcedenti cognitione fiat μάθησις? quid autem opus eſt doceri id, quod iam antea prænoueris? ad hanc dubitationem eximendam, ait Ariſtoteles. Ἐστι δὲ γνωρίζειν, τὰ μὲν πρότερον γνωρίζοντα, τὰ δὲ καὶ ἅμα λαμβάνοντα τὴν γνῶσιν, id eſt. Fieri autem poteſt, ut aliquis γνωρίζοι id, quod partim prius ἐγνώρισε, partim eius eo ipſo tempore λαμβάνει τὴν γνῶσιν. Scio autem hæc uerba longe aliter ab omnibus interpretibus accipi. quorum ſi ſententiam probarem, cauſſa non erat, cur his de rebus uerbum

bum facerem. Nunc, recte an minus, alii uiderint: certe quidem ab eis toto, ut dicitur, cælo diſſentio. Τὰ μὲν, & τὰ δὲ, accipio, ut in illo è libro primo de arte dicendi. τὰ μὲν, δι' ἀπαιδευσίαν, τὰ δὲ, δι' ἀλαζονείαν, τὰ δὲ καὶ δι' ἄλλας αἰτίας ἀνθρωπικάς. Ac quamuis poſteriore loco uulgo legitur, τῶν δὲ, tamen in quibuſdam uetuſtis libris, eam, quam ipſi afferimus, ſcripturam fuiſſe, uel de Philopono cognoſci poteſt. neque non libentius, pro γνωρίζοντα, legerem, γνωρίσαντα. ſed tamen nihil refert. Non eſt igitur abſurdum, etiam ſi quis dicatur diſcere id, quod antea quodammodo ſciebat. ſed ſi diceretur eodem modo diſcere, quo antea ſciuerat: id demum abſurdum eſſet. quod Ariſtoteles ipſe his uerbis exprimit. Ατοπον γάρ, ἐκ τοῦ οἶδέ πως μανθάνει, ἀλλ' εἰ ὡδὶ. οἷον ἢ μανθάνει, καὶ ὡς. ita enim legenda illa ſunt, non, ut uulgo leguntur. idq; etiam de illa rudi & inculta, ſed fideli uetere tralatione cognoſcitur. Etenim fieri poteſt, ut quis uniuerſe ſciat, omnia frigida habere uim ad inducendum ſomnum, qui tamen papauer aut lactucam eius generis eſſe neſciat. Is cum de eorum alterutro idem γνωρίσει, diſcet id, quod quodammodo antea ſciuerat. quod enim de toto genere ſcitur, etiam de qualibet parte ſcitur. ſed tamen ita diſtincte ac definite neſciuerat. Ergo τὰ μὲν πρότερον ἐγνώρισε, τὰ δὲ καὶ ἅμα λαμβάνει τὴν γνῶσιν. Sic quoque qui didicit finitiones, poſtulata, communes ſententias, à quibus exorditur Euclides: is cum poſtea diſcit. Super propoſita linea recta triangulum æquilaterum conſtitui poſſe, diſcit id, quod quodam modo præſciuerat. nam ex illis hoc efficitur. et qui nouit principia, nouit quodammodo conclu ſionem. non tamen diſcit, ἢ καὶ ὡς ἐγνώρισε, ſed diſtinctius & enucleatius. Non autem in omnibus quæ diſcuntur, διὰ τοῦ μέσου τὸ ἔσχατον γνωρίζεται: immo uero ſunt quædam, quæ ἀμέσως cognoſcuntur: ut principia, & ea quæ ſub ſenſum cadunt. Mentis enim & ſenſus ἄμεσος cognitio eſt. Ariſtoteles eo loco ponit tantum exemplum ἐν τοῖς καθ' ἕπαστα: ſed de principiis idem alibi docet. Cum autem uulgo legatur, ὅσα εἴδη τῶν καθ' ἕπαστα τυγχάνει ὄντα, non εἴδη legendum eſt, ſed ἤδη, ut & uetus interpres legit. in quo falſi ſunt ii, qui ſe diſertos,

diſertos, quàm intelligentes, haberi maluerunt. His autem de rebus diſputauerat etiam Ariſtoteles eo libro qui proxime anteceſſerat, ἐν τῷ περὶ τῆς καθ' ὑπόληψιν ἀπάτης. Hæc iudicari cupio ab hominibus & Græcæ linguæ intelligentibus, & re, non uerbo, philoſophis. ἄγροικοι καὶ ἄμυσοι quomodo accepturi ſint, ὑ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ.

Axiomata quomodo latine uocanda ſint. Cap. II.

INEPTE faciunt, qui ἀξιώματα dignitates uocant: cuius prauæ conſuetudinis Hermolaus Barbarus auctor fuit. neque nego ἀξίωμα interdum idem ualere, quod dignitatem, ſed nihil hoc ad ea, de quibus agimus, axiomata. neque minus ineptiunt, qui proloquia uocant, aut pronunciata: in quorum tamen poſteriore Ciceronem ſe habere auctorem putant. ſed falluntur. Nam Cicero hanc uocem, ita ut à Stoicis accipiebatur, interpretatus eſt: qui axioma uocabant quamlibet enunciationem, id eſt ἀπόφανσιν. id quod Laertius docet. ac ſi quis eo modo ἀξίωμα accipiat, tum ſane uel pronunciatum, uel, ſi uolet, proloquium dicat. Apud Ariſtotelem quidem & mathematicos alia huius uocabuli uis eſt. qui, ut notum eſt, axiomata uocant communes quaſdam ſententias, quæ non tantum ueræ ſunt, ſed etiam ueræ omnibus uidentur. Verbum autem ἀξιῶν, ſæpe apud Græcos, ſine ulla dignitatis aut indignitatis ſignificatione, idem ualet, quod exiſtimare ac ſentire. Inde igitur ἀξιώματα, ὅτι πάντες ἅτινας ἀξιοῦσιν. unde & κοιναὶ ἔννοιαι uocantur. Aut igitur uocem Græcam retinuerim, aut ſententias potius, quàm uel pronunciata, uel proloquia, uel dignitates dixerim.

Comparatione quadam Lucretiana uſus etiam Themiſtius oſtenditur. Cap. III.

NOTA eſt comparatio, qua uſus eſt Lucretius, cum ſe idē facere dixit, quod medicos: qui amaram aliquam potionem

nem pueris dare cupientes, = prius oras pocula circum
Contingunt dulci mellis flauoq́; liquore.

uidetur autem ea fuiſſe etiam apud Græcos celebris. Themiſtius quidem certe ea utitur: quem ueriſimile eſt eam ex aliquo uetuſtiore ſumpſiſſe. Nam in oratione, qua Nicomedenſes ad philoſophiam exhortatus eſt: Imitandi ſunt, inquit, nobis ſapientiores medici: qui pharmaca ea, quæ amariora ſunt, circumlito prius melle poculo, biben da præbent. μιμητέον ἡμῖν τοὺς σοφωτέρους τῶν ἰατρῶν. οἳ τὰ πικρότερα τῶν φαρμάκων, μέλιτι τὴν κύλικα περιχρίσαντες, πίνειν διδόασι.

Vt multas alias diphthongos, quæ nunc uſurpari deſierunt, ita oi pro œ, apud ueteres fuiſſe. emendatus Plauti locus. Cap. IIII.

MVLTIS uſos diphthongis ueteres, præter eas, quibus hodie utimur, conſtat. nam & Fourios dicebant pro Furiis, & Paitos ac Aimilios pro Pætis & Aemiliis, & de Sabineis triumphaſſe Tarquinium, de Etruſceis Ser. Tullium, in ueteribus monimentis legimus. Quinetiam ut ai pro æ, ſic oi pro œ interdum ſcribere, ut opinor, ſolebant. itaque apud Plautum in Menæchmis proilium, & proilio, in ueteribus libris ſcriptū animaduerti, pro eo, quod nunc prœlium, & prœlio ſcriberemus. Verſus hi ſunt, quibus Erotii meretricis cum paraſito Peniculo, & cum Menæchmorum fratrum altero colloquium quoddam continetur.

ER. Anime mi Menæchme ſalue. PE. quid ego? ER. extra numerum es mihi.

PE. Iſtud idem aliis aſcriptiuis fieri ad legionem ſolet.

ME. Ego iſtic mihi hodie apparari iuſsi apud te proilium,
Hodie ut fieret. in eo uterque proilio potabimus.

hoc qui non intellexerant, priore loco diſceſſerunt à uetere ſcriptura, & fecerunt, prœlium: poſteriore autem, unam uocem diſcerpſerunt in duas, & ſcripſerunt, pro Ilio. quod qui ad Troianas pugnas retulerunt, etſi eis plurimū

tribuo, adduci tamen, ut ipsis assentiar, hac quidem in parte non possum.

Dominos, nisi cupiditatibus suis imperent, ne seruis quidem suis imperare posse. Cap. v.

QVIBVS in domibus, aut paterfamilias, aut materfamilias nequiter libidinoseq; uiuat, in eis seruos non esse seruos, neque communi conditione seruitutis uti, sed liberius, licentius, dissolutius uiuere, & quotidiana docet experientia, & M. Tullius in Cœliana defensione grauissime ac sapientissime dixit. serui enim, ut alicubi salsissimus, urbanissimusq; scriptor posuit Lucianus, omnium conscii sunt, quæ à dominis aut pulchre aut turpiter fiũt. quocirca qui ea designant flagitia, quæ latere atque occultari expediat, ii, tantum abest ut metuantur à seruis, ipsimet metuunt seruos: utpote quos necessario habeant assiduos suorum facinorum testes. Hoc igitur argumento usus est Cicero, ut doceret, uerisimile non esse, M. Cœlium cum Clodiæ seruis consilium de ueneno ei præbendo communicasse. Lysias quoque in oratione, quam scripsit ei, qui sacram oleam incidisse arguebatur, hoc ipso eum argumẽto utentem fecit: nunquam ausurum fuisse se id facinus committere, cum & conscios eius seruos adhibere oporteret, & ipse, eo perpetrato, non seruos eos postea, sed dominos habiturus esset: neque ullo modo ausurus in eos animaduertere, quicquid illi tandem fecissent. πῶς ἔν, inquit, ἐκ ἂν ἦν ἀθλιώτατος ἀνθρώπων ἁπάντων, εἰ τοὺς ἐμαυτῆ θεράποντας, μηκέτι δούλους ἐμελλον ἕξειν, ἀλλὰ δεσπότας τὸν λοιπὸν βίον, τοιοῦτον ἔργον συνειδότας; ὥστε εἰ καὶ τὰ μέγιστα εἰς ἐμὲ ἐξημάρτανον, ἐκ ἂν οἷόν τε ἦν, δίκην με παρ' αὐτῶν λαμβάνειν. εὖ γὰρ ἂν εἰδείην, ὅτι ἐπ' ἐκείνοις ἦν καὶ ἐμὲ τιμωρήσασθαι, καὶ αὐτοῖς μηνύσασιν ἐλεύθεροις γενέσθαι. Miserrima igitur est impure ac turpiter uiuentium conditio, quibus ad cetera damna illud etiam accedit, ut in quos imperium exercere debuerant, eos reuereri ac metuere adigantur.

Homerum

Homerum & Aeschylum Athenienses, Tyrtæum Lacedæmonii quo honore affecerint. Cap. VI.

HOMERI poemata quanti fecerint Athenienses, quamq; utilia esse ad inflamandos honestatis ac dignitatis amore animos iudicarint, hinc existimari licet: quòd legem tulerunt, ut quinto quoque anno in Panathenæis, eius unius ex omni poetarum numero carmina publice canerentur. ita enim cogitabant, leges præcipere quidem, quid faciendum, fugiendumq; sit, sed, propter breuitatem, non docere: at poetas, qui uitam hominum imitantes, res præclare ac fortiter gestas copiose exponerent, easq; propemodum ante oculos constituerent, aptiores esse ad persuadendum. Similem autem honorem habuerunt Lacedæmonii Tyrtæo. cum enim ceteroqui à poeticis studiis alieni essent, neque poetarum cantus libenter audirent, lege tamen constituerant, ut quoties cum hostibus dimicaturus in procinctu constitisset exercitus: conuocarentur milites in tabernaculum regium: ibiq; audiendis Tyrtæi carminibus ad spernendam pro patria uitam incitarentur. Aeschylo quoque idem prope honos à populo Athenienſi tributus est. unius enim ex omnibus tragicis fabulæ, ipso etiam mortuo, ut docerentur, decreto publico statutum erat.

Illustratus locus ex Aristotelis categoriis. Cap. VII.

ARISTOTELES in extremo libro Categoriarum cum docuisset multis modis habendi uerbum accipi, addit: λέγεται δὲ καὶ ὁ ἀνὴρ γυναῖκα ἔχειν, καὶ ἡ γυνὴ ἄνδρα. Quid autem illud sit, cum uir mulierem, aut mulier uirum habere dicitur: id quia uulgo non satis intelligi uideo, explicabo. Is ergo mulierem quampiam habere dicebatur, aut qui eam

uxorem duxerat, aut etiam cui illa dicto audiens erat, qui ad eam, pro suo iure, cum uolebat, uentitabat, eaq; ad arbitrium suum fruebatur. atque ita dictum est olim ab Aristippo, ἔχω Λαΐδα, ἀλλ' οὐκ ἔχομαι. & apud Lucianum. Τὸν φρατιώτην Θαΐδι τὸν Ἀχαρνᾶνα, ὃς πάλαι μὲν Ἀβρότονον εἶχε, μετὰ ταῦτα δὲ ἤρᾶσθη ἐμοῦ, οἶδα; nequenon latini idem eodem uerbo indicabant. ut Cicero, qui illud uoluptarii philosophi dictum, quod modo memorauimus, ita extulit. Sed tamen ne Aristippus quidem ille Socraticus erubuit, cum esset obiectum, habere eum Laida. habeo, inquit, non habeor. græce hoc melius. tu, si uoles, interpretabere. Nam illum Ciceronis locum, ut hoc ὀδῶ πάρεργον admoneam, ita legendum iudico: & quas omisi uoces, glossas esse. neque alio sensu dictum est à Terentio:

= heus puer,
Dic sodes. quis heri Chrysidem habuit?

ad eandem etiam rem exprimendam ductandi uerbo utebantur. ut enim ductat exercitum is, cuiparet exercitus: ita ductare mulierem dicitur is, cui illa obtemperat, morigeraq; est in rebus omnibus. Plautus.

Solus solitudine ego te d atqueab egestate abstuli.
Solus si ductim, referre gratiam nunquam potes.
Solus ductato, si semper solus quæ poscam dabis.

& eodem modo Terentius,

Vt phaleratis dictis ducas me, & meam ductis gratiis?

„ atque ita intelligendum est illud Fabii libro octauo. Du-
„ ctare exercitus, & patrare bellum, apud Salustium dicta
„ sancte & antique, ridentur à nobis, si diis placet. Nam de illo altero uerbo in Catullum diximus. Sed &, idem significantes, mulierem cum aliquo esse dicebant. Plautus.

Mane, mane, audi. dic quid me æquom censes pro illa tibi dare,
Annum hunc ne cum quiquam alio sit? Idem.
Diabolus filius Nicocli Cleretæ
Lenæ dedit dono argenti uiginti mnas,
Philœnium ut secum esset noctes & dies,
Hunc annum totum.

Græci

Græci autem σωθῆναι sæpius, ut uidetur, περὶ τῆς ἐνεργείας αὐτῆς, hoc est, de ipsa corporum commistione accipiebant. non nunquam tamen aliter, ut, ὁ μὲν ἡλικιώτης σου χαρμίδης, ὁ τοῦ γείτονος Ἀρισταινέτου ἥδε, γαμεῖ ἤδη, καὶ σωφρονεῖ. σὺ δὲ μέχρι τίνος ἑταίρᾳ σύνει; Neque non Aristoteles ipse significauit, se hoc, quod dico, intelligere: sed tecto uerbo, & pudoris ac uerecundiæ pleno. subiunxit enim: οὐδὲν γὰρ ἄλλο τῷ ἔχειν γυναῖκα σημαίνομεν, ἢ ὅτι σωοικεῖ. nam σωοικεῖν si quis hoc loco idem ualere putat, quod, in iisdem ædibus degere, ac non illud potius ipsum, quod supra dixi περὶ τὸ ἔχειν fallitur. ita enim eos hoc quoque usos esse constat. Andocides. καὶ σωφρόνει ὁ πάντων χετλιώτατος ἀνθρώπων τῇ μητρὶ καὶ τῇ θυγατρί. Lucianus. Θεῶν κρίσει. Δοκεῖ τις αὐτῷ σωοικεῖν Ἰδαία γυνή. & Laertius in Aristippo. Πρὸς τὸν αἰτιώμενον ὅτι ἑταίρᾳ σωοικεῖ, ἄρά γε, εἰπεῖν, μή τι διενέγκαμ οἰκίαν λαβεῖν, ἐν ᾗ πολλοί ποτε ᾤκησαν, ἢ μηδείς; id autem quod uocauerat σωοικεῖν, paulo infra uocat σωθῆναι.

Correcti loci duo è primo libro Topicorum. Item alius è quinto Ethicorum. Cap. VIII.

LIBRO primo de arte dialectica, quæ topica uocantur, ita scriptum est. Ἕξομεν δὲ τελέως τὴν μέθοδον, ὅταν ὁμοίως ἔχωμεν, ὥσπερ ἐπὶ ῥητορικῆς, καὶ ἰατρικῆς, καὶ τῶν τοιούτων δυνάμεων. τοῦτο δ' ἐστί, τὸ ἐκ τῶν ἐνδεχομένων ποιεῖν ἃ προαιρούμεθα. semper autem mihi suspectus fuit is locus: neque unquam aliter mihi persuadere potui, quàm totum illud, τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ ἐκ τῶν ἐνδεχομένων ποιεῖν ἃ προαιρούμεθα, inducendum esse: neque scriptum ab Aristotele, sed temere inculcatum ab aliquo imperito. nullus enim iis uerbis uidetur subesse sensus. etsi non sum nescius, quomodo ea uulgo accipi soleant. sed qui purgatas aures habent, facile mihi hoc, ut sperare uideor, assentientur. Neque leue argumentum ad hanc coniecturam firmandam putari debet: quòd uetus latinus interpres facit à me: illaq; uerba omnino nõ agnoscit. nam constat eum & expressisse, si non eleganter, fideliter quidem certe, omnia quæ reppererat: & usum libro, ἀμήχανον ὅσον

ὅσιφ, meliore & emendatiore iis omnibus, qui nunc circumferuntur. Alexander quoque, aut quisquis est Græcus ille, qui commentarios scripsit, nullo modo ea uidetur agnoscere. quod me magis, ut in sententia permaneam, facit. Sed & paulo infra, eodem modo peccatum est. ubi enim uulgo legitur: ἔστι δὲ ἀριθμῷ ἴσα καὶ τὰ αὐτὰ, ἐξ ὧν τε οἱ λόγοι, καὶ περὶ ὧν οἱ συλλογισμοί. γίνονται μὲν γὰρ οἱ λόγοι ἐκ τῶν προτάσεων, περὶ ὧν δὲ οἱ συλλογισμοὶ, τὰ προβλήματά ἐστι: ibi ergo neminem, qui Aristotelicam dicendi rationem calleat, dubitaturum puto, quin præstet ita legi. ἔστι δὲ ἀριθμῷ ἴσα, καὶ τὰ αὐτὰ, ἐξ ὧν τε οἱ λόγοι, καὶ περὶ ὧν. γίνονται μὲν γὰρ ἐκ τῶν προτάσεων, περὶ ὧν δὲ τὰ προβλήματά ἐστι. λόγων autem nomine & syllogismos intelligit, & inductiones. eodem prope modo memini, correctum esse à me iampridem locum quendam è quinto νικομαχείων: qui uulgo ita legitur. ὁ δ' ἄδικος οὐκ ἀεὶ τὸ πλέον αἱρεῖται, ἀλλὰ καὶ τὸ ἔλαττον ἐπὶ τῶν ἁπλῶς κακῶν. ἀλλ' ὅτι δοκεῖ καὶ τὸ μεῖον κακὸν ἀγαθόν πως εἶναι, τῷ δ' ἀγαθῷ ἐστιν ἡ πλεονεξία, διὰ τοῦτο πλεονέκτης εἶναι. ἔστι δ' ἄνισος. τοῦτο γὰρ περιέχει, καὶ κοινὸν. καὶ παράνομος. τοῦτο γὰρ, ἡ παρανομία, ἤτοι ἀνισότης, περιέχει πᾶσαν ἀδικίαν, καὶ κοινὸν ἐστι πάσης ἀδικίας. ego autem legendum censeo: ἔστι δ' ἄνισος, καὶ παράνομος. τοῦτο γὰρ περιέχει καὶ κοινόν ἐστι. cetera uerba: iis admista, delenda esse. In quo quid librarios deceperit, non est difficile coniicere hominibus in hoc genere exercitatis. Hanc correctionem à me acceptam, Dionysius Lambinus, uir acutissimo ingenio, acerrimoq; iudicio præditus, rettulit in scholia in eos libros sua. nisi quòd, cum meam sententiam exponeret, uerba illa, πᾶσαν ἀδικίαν, & πάσης ἀδικίας, reliquit. quæ mihi uel maxima causa fuit hoc quoque loco testificandi, quid sentirem. non tantum enim existimo, è glossematis illa fluxisse, uerum etiam è falsis & ineptis glossematis. nam uerba illa, περιέχει, καὶ κοινόν ἐστι, si quis attente consideret, non πρὸς πᾶσαν ἀδικίαν, sed πρὸς τὸ πλεῖον, καὶ πρὸς τὸ ἔλαττον referenda sunt.

Videri

Videri Plautum dixisse rem uoluptatum eodem plane modo, quo Græci dicerent τὸ χρῆμα τῶν ἡδονῶν. Cap. IX.

REM uoluptatum, pro ipsis uoluptatibus dixisse uidetur Plautus in Amphitruone: ubi Alcumenam ita loquentem facit.

Satin' parua est res uoluptatum in uita atque ætate agunda
Præ quod molestum est? cuique hominum in ætate ita comparatumst,
Ita dis est placitum, uoluptati ut meror comes consequatur.

quod si est, haud facile dixerim, ubi præterea in tota lingua latina hoc loquendi genus reperiatur. sed uideri potest sumptum à Græcis. illi enim plane ita dicerent, τὸ χρῆμα τῶν ἡδονῶν. Ita locutus est Euripides in Phœnissis.

φιλόψογον γὰρ χρῆμα θηλειῶν ἔφυ.

qui tamen uersus, ab imperitis deprauatus, ita uulgo legitur.

φιλόψογον γὰρ χρῆμα θηλειῶν γένος ἔφυ.

sed uocem, γένος, delendam esse, & lex carminis indicio est: & è scholiaste facile colligitur. Ita enim Xenophon libro secundo παιδείας. Τὸν Ἀράβιον δὲ Μάραγδον, ἱππέας τε εἰς μυρίους, καὶ ἅρματα εἰς ἑκατὸν, καὶ σφενδονητῶν πάμπολύ τι χρῆμα. & Herodotus libro tertio. πολλόν τι χρῆμα τῶν ὀφίων ἐκλέπουσι. & Aristophanes Pluto,

Πολὺ χρῆμα τεμαχῶν, καὶ κρεῶν ὠπημένων. & principio νεφελῶν,

Ὦ ζεῦ βασιλεῦ, τὸ χρῆμα τῶν νυκτῶν, ὅσον
Ἀπέρατον. ὅπου' ἡμέρα γενήσεται;

quos uersus ita olim pueri interpretati sumus, cum eam fabulam, exercitationis causa, in latinum sermonem conuerteremus.

Rex Iupiter, quàm immensa res est noctium.
Nunquam ne pulsa nocte nascetur dies?

De

De quodam Plautino ioco, itemq; de loco quodam è Catone maiore Ciceronis disputatum. Cap. x.

IOCATVS est, ut solet, Plautus, cum in Pseudolo ita cum lænone loquentem induxit coquum.

Quia sorbitione faciam ego te hodie mea,
Item ut Medea Peliam concoxit senem:
Quem medicamento, & suis uenenis dicitur
Fecisse rursus ex sene adolescentulum,
Item te ego faciam.

Neque enim Peliam Medea, sed Aesonem è sene iuuenem reddidit: cum autem recepisset, idem se facturam Peliæ, effecit, ut infelix senex natarum suarum manibus concideretur. quod si coquus ille item fecisset iuuenem Ballionẽ, ut Medea Peliam fecerat: non sane bonam neque expetendam operam ei dedisset. fieri etiam potest, ut personæ seruierit: & cum loquentem induxisset hominem sordidum & abiectum, de industria perperam ab eo narrari ueterem illam fabulam fecerit. Quòd si Ciceronis etiam illud è Catone maiore ita legendum est, (ut sane legendum puto.)

„ Quò quidem me proficiscentem haud sane quis facile re-
„ traxerit: ne ue tanquam Peliam recoxerit: nimirum tale aliquid hic quoque comminiscendum est. nam aut decorum id & consentaneum Catoni credidit: quòd & memoria uacillare γεροντικὸν ἐστιν: & interdum habet aliquid grauitatis in magnis uiris minus accurata fabularum & talium rerum cognitio: aut hoc quoque inter μνημονικὰ Ciceronis ἁμαρτήματα numerandum est.

Euripidem aliter, quàm ceteros omnes, de Helenæ sidere locutum. Cap. xi.

DE sidere Helenæ non idem ab omnibus traditum est. Plinius quidem libro secundo naturalis historiæ, de eo, ut naiuigantibus exitioso, locutus est. nam cum geminas illas flamas

flamas, quæ Castoris ac Pollucis esse putabantur, salutares ac prosperi cursus prænuncias esse dixisset: Harum, inquit, aduentu fugari diram illam ac minacem, appellatam Helenam ferunt. Solinus quoque cũ exposuisset multa mala, quæ menstruus mulierum efficeret cruor: Habet, inquit, plane id solum salutare, quòd auertit sidus Helenæ perniciosissimum nauigantibus. Papinius quoque idem de illis fulgoribus sentire se ostendit hoc uersu:

= cum iam damnata sororis
Igne Therapnæi fugerunt carbasa fratres.

Quinetiam Franciscus Vicomercatus Aristotelis Meteorologica exponens, & cur Castor ac Pollux salutares essent, & cur diri ominis Helena, caussas, ut in eiusmodi re, satis probabiles reddidit. At Euripides tamen in Oreste salutarem eam nautis esse pronunciat. Ita enim de ea Apollinem loquentem facit.

Ζῆνος γὰρ ἔσαν, ζῆν νιν ἄφθιτον χρεών.
Κάστορί τε, Πολυδεύκει τ' ἐν αἰθέρος πτυχαῖς
Σύνδακος ἔσαι, ναυτίλοις σωτήριος.

Emendatus Plinii locus. Cap. xii.

REDVNDARE uidetur uox, uoluptatibus, apud Plinium
„ libro xiiii. ubi de natura uini agitur. cum enim uul-
„ go ita legatur, Prorsus ut iure dici possit, neque uiribus
„ corporis utilius aliud, neque aliud uoluptatibus pernicio
sius, si modus absit: melior uidetur fore sententia, si ea, quam dixi, uox deleatur. hoc enim dicet: immodico uino maxime debilitari corporis uires. quod & Lucilius dixerat his uersibus:

Scito etenim bene longinquum mortalibu' morbum
In uino esse, ubi qui inuitauit dapsilius se.

& Theognis: Οἶνος πινόμενος πολὺς κακὸς. ἢν δέ τις αὐτὸν
Πίνῃ ἐπισταμένως, οὐ κακὸς, ἀλλ' ἀγαθός.

& Panyasis. Ὡς οἶνος ἀνηρ τοῖσι θεῶν πάρα δῶρον ἄριστον,
Πινόμενος κατὰ μέτρον, ὑπέρμετρος δὲ χερείων.

ſed & libri teſtimoniorum pleni ſunt, & exemplorum plena uita. Illud tamen, uoluptatibus, quod nos expungendum eſſe credimus, & Hermolaus, & Politianus agnoſcũt.

Emendatus uerſus quidam Horatianus. Cap. XIIII.

HORATII uerſus hi ſunt è libro odarum tertio,

Teſtis mearum centimanus gigas
Sent entiarum notus, & integræ
Tentator Orion Dianæ
Virginea domitus ſagitta.

Eamq; ſcripturam ueteres grammatici comprobant. qui etiam centimanum gigantem Briareum accipiunt. ego autem in quibuſdam non contemnendæ auctoritatis libris ſcriptum reperio, non gigas: ſed Gyges. & ſane de Gyge illud etiam apud Ouidium legere memini:

Sphyngaq;, & Harpyias, ſerpentipedesq;, gigantes,
Centimanum Gygen, ſemibouemq; uirum.

Heſiodus quoque Cæli & Terræ filios facit Cottum, Briareum, & Gygen, centenis ſingulos manibus, quinquagenis capitibus metuendos.

Αλλοι δ' αὖ γαίης τε καὶ οὐρανῦ ἐξεγένοντο
Τρεῖς παῖδες μεγάλοι καὶ ὄμβριμοι, ἀκ ὀνομαστοί,
Κόττος τε Βριάρεώς τε, Γύγης θ' ὑπερήφανα τέκνα.
Τῶν ἑκατὸν μὲν χεῖρες ἀπ' ὤμων ἀΐσσοντο
Απλαστοι, κεφαλαὶ δὲ ἑκάστῳ πεντήκοντα
Ἐξ ὤμων ἐπέφυκον.

Sed & iamprídem admonui, ſcriptum eſſe in quibuſdam ueteribus libris, Gyas: meq; de eo amplius quærendum putare. quanquam enim mihi nouum erat illud nomen, tamen ne eam quidem uarietatem aut diſsimulandam, aut contemnendam eſſe ducebam. Nuper ergo cum Apollodori bibliothecam, quæ tunc primum in meas manus uenerat, percurrerem: in ipſo ſtatim principio hæc reperi. Ουρανὸς πρῶτος τῦ παντὸς ἐδυνάστευσε κόσμυ. γήμας δὲ γῆν, ἐτέκνωσε πρώτυς τὺς ἑκατόγχειρας προσαγορευθέντας, Βριάρεων, Γύην, Κοῖον.

quæ

quæ uerba ita reddidit Benedictus Aegius Spoletinus. Cælus primus orbis uniuerſi imperio præfuit. qui ducta uxore Tellure priores ex ea filios ſuſtulit, quos Centimanos appellarunt, Briareum, Gyan, ac Cœum. quin & apud Heſiodum in iis, quos citaui, uerſibus, quædam optimæ notæ exemplaria non Γύγης habent, ſed Γύης.

Correcti apud Ciceronem Ennii uerſus. Cap. XIIII.

ENNII uerſus de Q. Fabio Maximo ita uulgo apud Ciceronem leguntur.

Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem.
Non ponebat enim rumores ante ſalutem.
Ergo poſtq; magisq; uiri nunc gloria claret.

ſed in multis ueteribus libris eorum poſtremus ita ſcriptus eſt.

Ergo magisq; uiri nunc gloria claret.

ut ualde uerear, ne quis, ut uerſum, ad cuius menſuram aliquid deeſſe uidebat, expleret, de ſuo addiderit illud, poſtq;. ego autem potius crediderim, illud, magisq;, geminandum eſſe. non raro enim contigit, ut eæ uoces, quæ geminandæ erant, ſemel tantum ab imperitis librariis ponerentur. notum eſt autem, magis magis, & magis magisq;, ſæpe ab antiquis ſcriptoribus dici. pro quo Ennius fortaſſe dixerit, magisq; magisq;. ut ſit ſimile illi Catulliano:

Omnibus inq; locis celebretur fama ſepulti:
Clareſcatq; magis mortuus atque magis.

Ecquid adhibenda ſint in conuiuiis acroamata, an minus. Cap. XV.

RECTE ne faciant an ſecus, qui tibicines, aut citharœdos, aut alia id genus acroamata in conuiuiis adhibent, merito ut dubitari poſſe uideatur, duorum in philoſophia ſummorum hominum hac de re, ut uidetur, diſſentientium fa

cit auctoritas. Nam apud Platonem in Protagora Socrates abiectos modo, & imperitos, & circumforaneos homines id facere solitos dicit: qui cum eam uim non habeant, ut urbana aliqua & eleganti collocutione tempus illud epularis accubationis traducere, & mutuis sermonibus animos suos hilarare possint, eius rei remedium à mimis, & ab histrionibus, & à uocum fidium ue cantibus petunt. at quas ad epulas boni & eruditi conuiuæ conuenerint, in eis neque tibicinam, neque psaltriam audiri, neque saltatricem spectari ullam: ablegatis eos eiusmodi nugis atque ineptiis, modeste inter se & hilare colloqui: neque unquam deesse ipsis de quo sermones iucũdissimos conferant, etiam si multam in noctem conuiuium producatur. itaque ex illo nobili apud Agathonem conuiuio eiicitur tibicina, & aut sibi, aut mulieribus canere iubetur. At hercule alumnus eiusdem disciplinæ Xenophon in id conuiuium in quo & Socrates esset, & Antisthenes, & alii sapientia præstantes uiri, non modo Philippum excitandi risus artificem induxit, uerum etiam sublatis epulis, Syracusanum illum comessatorem cum tibicina, & saltatrice, & formoso puero, qui & ipse tum saltando, tum fidibus canendo, summa eos, qui aderant, uoluptate perfunderet. In Homericis etiam epulis & Phemius canit, & Demodocus, & in Virgiliano Iopas. sed hæc fortasse aliquis, intemperantium procorum, & luxurioſi regis, & reginæ iam tum amoris telo percussæ dixerit esse conuiuia. Quid quòd epulantibus diis, canere Apollinem & Musas ferunt? Nam Euripidi quidem sententiam mirari sæpe soleo: qui non in conuiuiis, sed in luctu potius Musicam adhibendam esse censet: quòd conuiuia satis ipsa per se læta sint: in luctu autem quærendum sit aliquid, quo minuatur dolor. Ego uero si usquam, inter pocula maxime, talibus blandimentis & relaxationibus animi locum esse duco: neque, dum ea moderatio retineatur, ut turpitudo omnis & obscœnitas absit, causſam uideo ullam, cur in mensa aut comœdum auersari, aut aulœdum, fidicinem ue refugere sapiens debeat. nam si semper tam facundi ac diserti conuiuæ

uæ contingerent, quàm illi sunt Platonici: tum fortasse non immerito talia omnia excluderentur. quod enim esse potest tam mirabile acroama, quod non collatum cum illorum sermonibus sordeat? quos equidem arbitror, si Apollinem uidissent ipsum cum lyra & plectro ingredientem, uno ore omnes oraturos fuisse, ut aut abscederet, aut ne cantu suo sermones abrumperet institutos. Et tamen, nisi ualde fallor, non multo turpius fuisset, tibicinæ alicuius cantum audire, quàm uel orationem Aristophanis, uel ea quæ de Socratis temperantia ebrius Alcibiades intemperantissime narrat.

Correctus locus è secundo de diuinatione. Cap. XVI.

TOTAS noctes somniamus: neque ulla fere est, qua non
„ dormiamus: & miramur aliquando id, quod somniaui-
„ mus, euadere? Ciceronis hæc uerba sunt è secundo libro de diuinatione, exagitantis uanitatem somniorum, & negantis, si quædam somnia euentus comprobet, ex eo effici, ut ne somnia pro somniis habenda sint. nam in tanta copia & uarietate, magis mirum foret, si nihil unquam eorum quæ per quietem uidentur, eueniret. quanquam autem, ut ego Ciceronis uerba recitaui, ita in omnibus, quos uidi, libris leguntur: tamen excuti hoc mihi non potest, quin deprauata illa, & ad hunc modum corrigenda
„ sint. Totas noctes dormimus: neque ulla fere est, qua
„ non somniemus: & miramur, aliquando id, quod som-
„ niauimus, euadere? Quod quidem ita mihi perspicuum uidetur, ut ne confirmatione quidem egeat. aliorum tamen iudicium facio.

Semiramis quo astu ad regnum peruenerit. Cap. XVII.

VAFRA in primis & astuta ratione ad regnum ex humili & abiecta conditione peruenisse Semiramis dicitur. quæ hi-

ſtoria cum haud ita multis nota ſit, neque latinis, quod ſciam, litteris prodita, referetur à me ita, ut ſcriptam in Græcorum commentariis repperi. Aiunt igitur eam initio uernæ cuiuſdam regii ancillam, ac concubinam fuiſſe. in quam cum aliquando incidiſſet rex Ninus, forma ipſius & lepore captus, amare cœpit. obſecuta regi mulier, ita eum ſibi paulatim ſtupri conſuetudine aſtrinxit: ut nihil eſſet tantum, quod aut à rege petere non auderet Semiramis, aut petenti rex auderet negare. Ergo cum aliquando iniecisſet in ſermone, teneri ſe magno cuiuſdam rei deſiderio: rexq; eam, quicquid tandem illud eſſet, aperte ac libere proferre iuſsiſſet: Cuperem, inquit, hoc mihi à te tribui, ut unum modo diem ſedere mihi liceret in ſolio tuo, & ius dicere: utq; omnes toto illo die, quemadmodum tibi faciunt, ita mihi obtemperarent. Riſit rex: & quod petebatur, conceſsit. nec mora. edicitur, ut certo quodam die omnes Semiramidi dicto audientes ſint. ita regi placere: eam illo die, regio imperio ac poteſtate præeſſe omnibus. ubi ille aduenit dies: mulier regio cultu in ſolio aſſedit. fit concurſus maximus. illa de principio, experiendi cauſſa, quædam haud magni momenti imperat. ubi ſerio omnes ſibi omnibus in rebus parere uidit, iubet ſatellitibus, ac ſtipatoribus corporis regii, ut regem ipſum comprehendant. comprehenditur. ut uinciant. uincitur. ut interficiant. interficitur. ita imperium ex diurno diuturnum efficitur. hæc eſt, quæ Babylonem muris latericiis cinxit: cuius horti illi penſiles tantam admirationem habuerunt: quæ cum equo concubuiſſe dicitur: quæ poſtremo cum filii quoque ſui concubitum petiiſſet, ab eo truci data memoratur.

Vt honorem latinis, ita Græcis ὄνειδος & κλέος ambigua uocabula eſſe. Cap. XVIII.

SIGNIFICATIONIS ambiguæ uerbum eſſe honorem, tradidit Gellius: idq; probauit his uerbis ex oratione Q. Metelli Numidici de triumpho ſuo. Qua in re quanto uniuerſi

„ uerſi me unum anteſtatis, tanto uobis, quàm mihi, maiorem iniuriam atque contumeliam facit, Quirites. & quanto probi iniuriam facilius accipiunt, quàm alteri tradunt: tanto ille uobis, quàm mihi, peiorem honorem habuit. Nam me iniuriam ferre, uos facere uult, Quirites: ut hic conqueſtio, iſtic uituperatio relinquatur. Eodem autem modo Græci quoque ὄνειδος, cum fere in infamiæ ac turpitudinis ſignificatione ponatur: non nunquam tamen pro gloria accipiunt. ut,

Καλόν γέ μοι τὄνειδος ἐξανείδισας. &,

Θήβαις κάλλιστον ὄνειδος. &,

Καλόν γ' ὄνειδος τῷ νεωστὶ νυμφίῳ.

Sed & κλέος non nunquam in malam partem accipitur. idq; non ex eo tantum intelligi poteſt, quòd apud Homerum ſæpe legitur καλὸν κλέος: ut ex eo coniiciamus, eſſe etiam aliquod κλέος οὐ καλὸν: Sed multo magis ex hoc Euripidi uerſu, quem apud ipſum dicit Helena.

Οὔπω νιν Ελένης αἰσχρὸν ὤλεσε κλέος;

In illis autem Metelli uerbis neſcio, an illud annotare debeam: facere contumeliam, quod loquendi genus Cicero in Antonio reprehenderat, legi. ſed & apud Plautum, & apud Terentium crebra illius exempla ſunt. Neque tamen iniuria notauerat Antonium Cicero: quod uulgo creditur. nam Antonius ita dixerat, facere contumeliam, ut, facere damnum, aut facere iacturam dicimus. quo modo nunquã quiſquã, opinor, præter eum locutus reperietur.

Correctus locus ex oratione Ciceronis pro domo ſua. Cap. XIX.

VOCABVLVM, actus, pro eo quod Græci dicunt ἐνέργειαν, plane barbarum eſt, & priſcis illis temporibus, quibus Romani ſermonis integritas uiguit, inauditum. eo tamen non nullos uti uideo, & quidem eorum, qui ſe non latine modo, ſed etiam, ſi diis placet, Ciceronis more loqui putant. Decipiuntur autem præcipue corrupto quodam loco ex oratione pro domo ſua ad pontifices: quem emendare

dare inſtitui: ut iſti, qui ſe è Nizolii libro germanos CiceRones eſſe credunt, errore hoc ſuo liberentur. Non enim
» ita locus ille legendus eſt. Omnem diu collectam uim im-
» proborum, quæ inueterata compreſſo odio atque tacito
» iam erumpebat in actum, tam audaces duces excepi meo corpore. Sed hoc modo, ut in antiquis libris eſſe, homines certi & fide digni affirmant. Omnẽ diu collectam uim
» improborum, quæ inueterata compreſſo odio atque taci
» to iam erumpebat, nacta tam audaces duces, excepi meo
» corpore.

Correctus locus è ſecundo de finibus. Cap. XX.

EIVSDEM generis eſt odrilicium: quæ inepta uox, & nihil plane ſignificans, ita inſedit in loco quodam è ſecundo de finibus, ut omnes prope iam libros occuparit. ita enim
» ibi legitur. Aſsint etiam formoſi pueri, qui miniſtrent. re-
» ſplendeat his ueſtis, argentum, odrilicium, locus ipſe. at in libris ueteribus hoc modo. Aſsint etiam formoſi pueri,
» qui miniſtrent. reſpondeat his ueſtis, argentum, Corin-
» thium æs, aut Deliacum, ædificium, locus ipſe. quæ quin uera ſcriptura ſit, non eſt, cur quiſquam dubitandum putet. Itaque ipſum quoque reſplendendi uerbum mihi quidem ualde ſuſpectum eſt. nam hoc uno loco nitebantur, qui illud, ut Latinum, recipiebant. nunc autem, niſi aliquod aliud teſtimonium reperiatur: uidetur ſane ei quoque lege Papia periculi aliquid imminere. hoc igitur alii cogitabunt.

M. ANTONII MVRETI
AD HIPPOLYTVM ESTENSEM S. R. E. CARDINALEM ILLVSTRISSIMVM,
VARIARVM LECTIONVM LIBER SEPTIMVS.

Sorores uxores ducere, num apud Athenienſes lieuerit. Cap. I.

PERELEGANS extat Aemilii Probi ad T. Pomponium Atticum libellus, quo Græcorum imperatorum uitæ mundiſsimo ac caſtiſsimo orationis genere explicantur. eum nuper cum animi cauſſa euolueremus, in ipſa ſtatim præfatione, quiddam deprehendimus, quod ſane mirati ſumus. Negat enim, Cimoni, ſummo Athenienſium uiro, turpe fuiſſe, ſororem germanam habere in matrimonio. quippe cum ciues eius eodem uterentur inſtituto. Ego uero de Perſis & aliis quibuſdam barbaris nationibus ſæpe id legeram: de Athenienſibus nihil tale, niſi ab eo, memineram proditum eſſe. Itaque cum attentius de eo cogitare cœpiſſem, quaſiq; excutere memoriam meam, recordatus ſum loci cuiuſdam ex oratione, quam antiquiſsimus & nobiliſsimus orator Andocides aduerſus Alcibiadem habuit: qui ex diametro, ut aiunt, cum eo, quod ab Aemilio dicitur, pugnat. oſtendit enim, eã ipſam fuiſſe cauſſam, cur Cimon in exilium miſſus ſit, tanquam legum contemptor. neque quicquam ei profuiſſe, quod & ipſe Olympia uiciſſet, & pater. ueteres enim illos, non certaminũ, aut uictoriarum, ſed legum & inſtitutorum, in iudicando habuiſſe rationem. Andocidis uerba ſi quis requirit, hæc ſunt. Ἀναμιμνήσθητε δὲ καὶ τῶν προγόνων, ὡς ἀγαθοὶ καὶ σώφρονες ἦσαν.

ὅιτινες ἐξωστράκισαν Κίμωνα διὰ παρανομίαν, ὅτι τὴν ἀδελφὴν τὴν ἑαυτῆς σωφρόνισε. καίτοι ἐμόνον αὐτὸς ὀλυμπιονίκης ἦν, ἀλλὰ καὶ ὁ πατὴρ αὐτῆς Μιλτιάδης. ἀλλ' ὅμως ἐδὲν ὑπελογίζοντο τὰς νίκας. ἐ γὰρ ἐκ τῶν ἀγώνων ἀλλ' ἐκ τῶν ἐπιτηδευμάτων, ἔκρινον αὐτόν. in uulgatis tamen libris Κόνωνα, non Κίμωνα legimus: quod mendum esse librariorũ puto. ab aliis enim omnibus Cimonem uocari uideo. Neque pigebit emendare locum quendam è libro sexto Valerii Maximi, ubi de hoc ipso Cimone ita scriptum est. Ci-
» monis uero incunabula opinione stultitiæ fuerunt refer-
» ta. eiusdem stultitiæ imperia salutaria Athenienses sense-
runt. Ego autem non dubito, quin uox, stultitiæ, è poste riori loco delenda sit. Cimonis enim, non stultitiæ, dicit imperia Athenienſibus salutaria fuisse.

De consuetudine Græcorum non adhibendi honestas mulieres ad conuiuia uirorum. Illustratus locus ex Eunucho Terentii: itemq; locus Ciceronis è libro primo in Verrem. Cap. II.

In conuiuiis liberius & hilarius fere loqui homines solent: neque quisquam ita seuerus est, qui non inter uinum & epulas tum iocetur interdum ipse, tum libenter iocantes alios audiat. fieri autem uix potest, quin uacuo & soluto animo iocantibus non nunquam parum uerecundum aliquid excidat: quodq; si alibi diceretur, reprehensione merita non careret. quocirca prudenter olim Græcorum cõsuetudo muliebrem sexum à conuiuiis amouerat: neque ulla in uirorũ sympoſiis accumbebat mulier, nisi quæ quidquis non audire modo, uerumetiam perpeti posset. uidebant enim alioqui fore, ut aut matronalem uirginalem ue pudorem libertas iocantium offenderet, aut iocandi libertatem illius habita ratio retardaret. Inde igitur est, quòd cum apud Terentium Thraso introduci iussisset in conuiuium Pamphilam, indignata Thais, minime, inquit, gentium. In conuiuium tu illam? quod enim suis integram eã ac

ac pudicam reddere ac restituere cupiebat, uix id consequi posse uidebatur, si hoc, quod postulabat miles, passa esset. Ex eadem etiam consuetudine intelligendum est id, quod apud Ciceronem libro primo accusationis legitur.
» Posteaquam satis calere res Rubrio uisa est: Quæso, in-
» quit, Philodame, cur ad nos filiam tuam non intro uoca-
» ri iubes? homo, qui & summa grauitate, & iam id ætatis,
» & parens esset, obstupuit hominis improbi dicto. instare
» Rubrius. tum ille, ut aliquid responderet, negauit, mo-
» ris esse Græcorum, ut in conuiuio uirorum accumberent
» mulieres. hic tum alius ex alia parte. Enimuero ferendum
» hoc non est. uocetur mulier. & simul seruis suis Rubrius,
» ut ianuam clauderent, & ipsi ad fores asisterent, impe-
» rat. Quod ubi ille intellexit, id agi, atque id parari, ut fi-
» liæ suæ uis afferretur, seruos suos ad se uocat: his impe-
» rat, ut seipsum negligant, filiam defendant. Nam quod nõ nullos ceteroqui non ineruditos homines opinari uideo, id tum à Philodamo pro tempore confictum esse: quantopere in eo fallantur, uel de his, quæ subiiciam, nobilissimis oratoris Isæi, quem ueteres Demosthenicæ in dicendo facultatis fontem uocarunt, uerbis cognosci potest. ita enim loquitur in oratione, qua de Pyrrhi cuiusdam hereditate contenditur. Καίτοι ἐδήπουγε ἐπὶ γαμετὰς γυναῖκας ἐδεὶς ἂν κωμάζειν τολμήσειεν, ἐδ' αἱ γαμεταὶ γυναῖκες ἔρχονται μετὰ τῶν ἀνδρῶν ἐπὶ τὰ δεῖπνα, ἐδὲ σωφρονεῖν ἀξιοῦσι μετὰ τῶν ἀλλοτρίων, καὶ ταῦτα μετὰ τῶν ἐπιτυχόντων. Romani autem innuptas modo uirgines, quod quidem sciam, à conuiuiis amouebant: quod
» hæc Varronis uerba ostendunt. Virgo de conuiuio abdica
» tur ideo, quòd maiores nostri uirginis acerbæ aures Ve-
» neris uocabulis imbui noluerunt.

Euripidis locus in Medea correctus & declaratus. Cap. III.

Interposita iurisiurandi religio in obseruandis conuentionibus homines plærunque diligentiores facit. quanquam enim boni uiri est fidem seruare etiam nullo eiusmo-

di uinculo alligatam: contingere tamen uidemus, ut fæpe cauſſam aliquam reperiant, qui ea quæ receperunt, præſtare nolunt: cum in iis quæ affirmate quaſi deo teſte promiſſa ſunt, nemo id facere, niſi plane impius, ſoleat. itaque prudenter & callide apud Euripidem Medea, cum Aegeus tutum ei apud ſe hoſpitium fore promiſiſſet: non temere tamen ei ſtatim fidem habere uult: ſed illud ipſum iureiurando ſibi confirmari petit. quod cum ille miraretur, quæreretq́; ex ea, an non ſibi fideret: ita uafra & aſtuta mulier reſpondens inducitur.

Πέποιθα. Πελίου δ' ἐχθρός ἐσί μοι δόμος,
Κρέωντε. τῶτοις δ' ὁρκίοισι μὲν ζυγεὶς,
Ἄγοσιν ἐ μεθῆς ἂν ἐκ γαίης ἐμέ.
Λόγοις δὲ συμβὰς, καὶ θεῶν ἀνώμοτος,
Φίλος γένοι' ἂν, κ' ἀπικηρυκεύμασιν
Οὐκ ἂν πίθοιο. τἀμὰ μὲν γὰρ ἀθενῆ,
Τοῖς δ' ὄλβός ἐσι, καὶ δόμος τυραννικός.

qui quidem uerſus & aliquot locis deprauati uulgo leguntur, & à ſcholiaſte, mea quidem ſententia, non intelliguntur. ego igitur ita eos interpretor. Fido equidem tibi. ceterum inimica mihi eſt Peliæ domus: itemq́; Creon. τῶτοις δὲ, nempe Peliæ & Creonti: ἄγοσιν ἐμὲ ἐκ γαίης, ſi uenerint, cupientes me à finibus tuis abducere: ἐ μεθῆς ἂν, tu id nõ permittes, neque me eis trades: ſiquidem iureiurando fidem mihi tuam obligaueris. At ſi nudis tantũ ſermonibus mecum conueneris: (hoc enim eſt, λόγοις δὲ συμβὰς) neque deos teſtes adhibueris: tum te fortaſsis amice cum illis geres, neque ſtabis iis, quæ inter nos conuenta erunt. ea enim uocat ἐπικηρυκεύματα. addit deinde cauſſam probabilẽ, cur uereatur, ne ita eueniat. Cum autem uulgo legatur μεθεῖσαν, aut μεθεὶς ἂν, ubi ego legendum cenſeo, μεθῆς ἂν: & ἀνώμοτος, ubi ego, ἀνώμοτος: quantam ea res ἀμηχανίαν ſcholiaſtæ obiecerit: quamq́; longe eum à poetæ ſententia abduxerit: dicerem, ſi liberet oſtentare me in exagitandis aliorum erroribus. nunc eo ingenio ſum, ut id, quod mihi uerum uidetur, nude ac ſimpliciter proponere, ſatius ducam.

Quid

Quid interſit inter imperium patris & domini. Emendati Afranii uerſus apud Gellium. Cap. IIII.

MVLTVM intereſſe inter imperium patris & domini, longeq́; alia ratione regendos eſſe liberos, alia ſeruos, multi & philoſophi & poetæ ueteres tradiderunt. nam ſeruilis quidem animus naturali quodam dominorum odio imbutus, coerceri fere, niſi malo, non poteſt. liberi, quos cũ parentibus arctiſsimo caritatis uinculo natura copulauit, officiis ſunt, & obſequio, & beneuolentia deuinciendi. ſedhabendus diligenter eſt modus. neque enim laudandi ſunt, qui ita indulgenter filios habent, ut ad omnia eorum peccata conniueant: qualis à Terentio inducitur Mitio: multoq́; minus ſi qui ſe eis præbent inhoneſtarum libididum adminiſtros, &, quod ait apud Euripidem Medeæ nutrix, ἡμαρτηκόσι κύριν σωεκκομίζεσι. Vt fugiamus enim proponuntur illa in theatris, non ut imitemur:

Omnes parentes Libane liberis ſuis,
Obſequelam facient, qui auſcultabunt mihi:
Quippe qui mage amico utantur gnato, & beneuolo.
Atque ego me id facere ſtudeo: uolo amari à meis.
Volo mei patris me ſimilem, qui, cauſſa mea,
Nauclerio ipſe ornatu per fallaciam,
Quam amabam abduxit à lænone mulierem.
Neque puduit eum id ætatis ſycophantias
Struere, & beneficiis me emere gnatum ſuum ſibi.
Eos me decretumſt perſequi mores patris.
Nam me hodie orauit Argyrippus filius,
Amanti ut facerem argenti copiam ſibi.
Et id ego percupio obſequi gnato meo.
Volo amori obſecutum illius. uolo amet me patrẽ.

Flagitioſa quidem illa ſunt, & à paterna lenitate nimium quantum abhorrentia. an uero ſi quis pater filium aut brachio, aut crure, aut aliqua corporis parte debilitet, inutilemq́; reddat, teter & immanis habeatur: qui animum, quo

nihil

nihil eſt diuinius, detorquebit, deprauabit, corrumpet, hunc lenem, atque indulgentem putemus? ego uero immitem potius, & crudelem nominauerim. non hercle minus, quàm ſi deſipienti ac deliranti, & mentis uitio mortiferum uenenum petenti pro cibo, præbeat, eiq; ſe nihil negare poſſe dicat. Satis ſit errantes admonere, & admiſta blanditiis ſeueritate in uiam reducere, lapſos erigere, ignoſcere: non ſæuire, non domo excludere, non in manicis & compedibus habere: præcipitare quidem labantes, & ſuapte ſponte ruentes in exitium impellere, non comitatis eſt, neque clementiæ, ſed crudelitatis, & dementiæ: neque hoc qui faciunt, benigni patres, ſed importuniſsimi filiorum ſuorum hoſtes ſunt iudicandi. Pari quoque propemodum in uitio ſunt, qui ad illam ſummã ueritatis normam exigere omnia, quæ à liberis fiunt, uolunt: neque fas putant, inconſultam illam & improuidam ætatem uſquam offendere, & illectam blanditiis uoluptatum à rationis præſcripto deflectere: cum ſenes quoque ipſos, quibus multo facilius eſt domitas & compreſſas libidines habere, non nunquam tamen abripi earum æſtu, neque ὀρθὰν τὰν ναῦν perpetuo tenere poſſe uideamus. Illi ergo ſuperiores à filiis pro amore contemptum ferunt. nunquam enim contemptũ cognita nequitia effugit. hi, quibus, naturæ lege, uita ipſa cariores eſſe debuerant, eis inuiſos ſe, odioſoſq; reddunt: & illud conſequuntur, ut filii paternæ uitæ finem, ſuæ principium putent fore. Iam qui ne liberis quidem carus ſit, eum conſentaneum eſt, ne ceteræ quidem familiæ carum eſſe. Cui autem dulce quicquam eſſe poſſit in uita, qui ſe uiuere tota ſua domo norit inuita?

Θάνοιμ' ἄν, εἰ με πάντες εὔχονται θανεῖν. ait ille. non male. nam quid miſerius, quàm ita uiuere, ut neminem uideas, qui te ſaluum uelit? quod conſequuntur illi, ut dixi, qui metu potius, quàm reuerentia quadam, filios in officio continendos putant. Itaque præclare Afranius:

Horumce parentum eſt uita bilis liberis,
Qui malunt metui, quàm uereri ſe à ſuis.

cuius uerſus eo libentius adduxi, ut emendarem. apud Gellium

Gelliũ enim mirabiliter deprauati leguntur. Quare neque exultanti iuuenũ libidini frena laxanda ſunt: neque ferox ætas duriore, quàm par eſt, imperio magis etiam exaſperanda: ſed ea utendum dexteritate, ut ii qui reprehendun tur ipſi, non odio ſui, ſed amore potius & beneuolentia id fieri ſentiant: omninoq; ita temperanda omnia, ut & ab odio ſeueritatem comitas uindicet, & à contemptu ſeueritas comitatem.

Emendatus Varronis locus, qui citatur à Nonio. Cap. V.

ASSE uinum: aſſe pulmentarium. ſed eas, quò natura aurigatur, non neceſsitudo. Ita plane citantur hæc uerba Varronis à Nonio: niſi quòd librariorum uitio, ſedeas, coniuncte legitur pro, ſed eas. Mirum eſt autem, Victorium, qui hæc uerba diligenter conſiderauit, eorumq; ſententiam ſatis commode expoſuit, non uidiſſe, magnum in eis adhuc hærere uitium, idq; tale, ut ſentẽtiam plane abſurdam & ineptam efficiat. nam quid eſt tandem, quò natura aurigatur, non neceſsitudo? aut quò aurigatur natura, niſi quò etiam neceſsitudo? puto autem tres primas litteras ultimæ uocis ab aliquo librario ſine cauſſa geminatas eſſe, hoc modo: nec neceſsitudo. deinde illud, nec, mutatum eſſe ab aliis in, non. ut plane ita legendum ſit.

„ Aſſe uinum: aſſe pulmentarium. ſed eas, quò naturæ au-
„ rigatur neceſsitudo.

Ab igne ad uitam crebro tralatas eſſe multas ab antiquis ſcriptoribus uoces. Cap. VI.

IGNEAE naturæ eſſe animum, plærique ueteres crediderunt. adducebantur autem in eam opinionem, quòd calore foueri, ac uegetari omnia uiderent: tum quòd frigere cadauera: unde & frigidã uitai pauſam dixit Lucretius. Sed & mouetur per ſe ignis, & paſcitur: quæ certo quodam modo propria animalium ſunt. ergo ex ea opinione

multa

multa loquendi genera fluxere in quotidianam loquendi consuetudinem. nam extinguendi uerbum, quod in igne proprium est, etiam in animalibus dicitur. ut, = natumq; patremq; Cum genere extinxem. &, animam extinguam seni. et uiuere, ab iis quæ animata sunt, ad ignem transfertur. Plautus.

Nam si ignis uiuet, tu extinguere extempulo.

& Horatius uiuas lucernas dixit, accensas.

Viuæq; producent lucernæ,
Dum rediens fuget astra Phœbus.

quod autem mihi rarum in primis usum est, etiam interfectum torrem pro extincto Accius dixit. eius enim extant hi uersus Meleagro.

Tum suum uitæ finem, ac fati internecione m fore
Meleagro, cum torris esset interfectus flameus.

Correctus locus è primo Rhetoricorum Aristotelis, item locus Callimachi ex hymno in Apollinem. Cap. VII.

ARISTOTELES libro primo de arte dicendi, ubi felicitatis partes percensет, εὐγηρίαν, id est, ut Victorius erudite & eleganter interpretatur, bonam commodamq; senectutem in eo positam esse dicit, ut & tarde senescat quis, & sine dolore ac molestia senescat. nam neque quem cito deserit iuuentus, feliciter senescere dicendus est: neque is, cuius ingraueſcentem ætatẽ magni dolores molestiæq; comitantur. In iis autem uerbis, quæ statim apud Aristotelem sequuntur, uitii aliquid inesse arbitror: neque Victorii aut scripturam, aut interpretationem ea in parte approbo. Ille enim legit. Ει δὲ καὶ ἐκ τῶν τῦ σώματος ἀρετῶν, καὶ τύχης. μὴ ἄνοσος γὰρ ὢν, μηδὲ ἰσχυρὸς, ἄκ ἔσαι ἀπαθὴς, οὐδ' ἄλυπος, καὶ πολυχρόνιος, ἤτ' ἂν εὐτυχὴς διαμείνειεν ἄν. quibus ex uerbis quam sententiam efficiat, ex ipsius commentario perspici potest. ego autem ita legendum censeo. μὴ ἄνοσος γὰρ ὢν, μηδὲ ἰσχυρὸς, ἄκ ἔσαι ἀπαθὴς. οὐδ' ἄλυπος, καὶ πολυχρόνιος ἄνευ τύχης διαμείνειεν ἄν. cum enim dixisset, ad εὐγηρίαν concurrere oportere

re tum corporis, tum fortunæ bona: causſam statim addidit, cur utraque necessaria essent. nam & nisi qui prospera utatur ualetudine, integrisq; sit corporis uiribus, is ut ἀπαθὴς sit, fieri prorsus non potest: & cui parum amica fortuna sit, neque uacare molestiis poterit, neque diu uiuere. multa enim fortuito obiici possunt, quæ partim magnas & graues molestias afferant, partim etiam uitæ spatium contrahant. hoc est igitur quod ait, ἄνευ τύχης ὔτε ἄλυπον, ὔτε πολυχρόνιον διαμένειν οἷόντε εἶναι. Eodem prope modo memini correctum olim esse ab Io. Aurato, homine doctissimo, mihiq; amicissimo, uersum quendam Callimachi ex hymno in Apollinem: qui cum uulgo ita legatur:

Οὐδ' ὁ χορὸς τὸν φοῖβον ἐφ' ἓν μόνον ἦμαρ ἀείσει.
Εσι γὰρ ἔυυμνός τις. ἂν ἄρεα φοῖβον ἀείδει.

legendus est, ut is, quem modo dixi, uir eruditissimus admonuit, hoc modo.

Εσι γὰρ ἔυυμνος. τίς ἂν ἀ ῥέα φοῖβον ἀείδοι;

hoc enim dicit poeta, neminem esse usque eò rudem & indisertum, cui non facillimum sit laudare Apollinem. nam ita multa in eo laudanda esse, ut nemini, ne infantissimo quidem, qui eum celebrare instituerit, deesse possit oratio.

Conatus emendandi duos locos è tertio libro Aristotelis de arte dicendi. Cap. VIII.

SVMMVM studium adhibere debent, quicunque aliquid dicendo persuadere meditantur, in ipso dicendi artificio occultando & obtegendo. natura enim comparatum est, ut facilius assentiamur iis, qui ita uti naturæ impetus fert, loqui uidentur, quàm illis, à quibus naturalem illum cursum arte quadam inflecti opinamur. etenim ueritatis, ut ait Euripides, simplex est oratio. quo fit, ut quicunque ab illa naturali simplicitate discedunt, ueniant nobis in suspicionem, quasi decipere nos, ac circumscribere moliantur. Sapienter igitur à dicendi magistris præcipitur, summam artem in arte dissimulanda sitam esse. quod Aristote-

les libro tertio his uerbis complexus est. Διὸ δεῖ λανθάνειν, ποιοῦντας. καὶ μὴ δοκεῖν λέγειν πεπλασμένως, ἀλλὰ πεφυκότως. τοῦτο γὰρ πιθανὸν. ἐκεῖνο δὲ τἀναντίον. ὡς γὰρ πρὸς ἐπιβουλεύοντα διαβάλλονται. Quæ uerba exponens optimus interpretum, ait, uerbum διαβάλλονται alio quodam modo accipi, quàm plærunque soleat. cum enim διαβάλλεσθαι usitate dicatur pro eo quod est criminari, aut calumniari, hic ualere idem, quod male animo affectos esse. ego autem, quod bona ipsius uenia dictum sit, nunquam id uerbum eam uim habere arbitror: neque sane eo loco quem ipse ex Plutarcho protulit, declarationem illam ullo modo confirmari puto. potius autem crediderim, erratum esse à librariis, qui διαβάλλονται scripserint, cum scribendum esset διαλαβοῦνται. ac ne illud quidem pigebit admonere: paulo supra eum quem modo recitauimus, locum, ubi in uulgatis libris legitur, ἐν δὲ τοῖς ψιλοῖς λόγοις πολλῷ ἐλάττοσιν, mihi quidem legendum uideri, ἐν δὲ τοῖς ψιλοῖς λόγοις πολλῷ ἐλάττω εἰσίν. ipsa enim orationis ἀκολουθία, nisi ualde fallor, aliter constare non potest.

Illustratus locus è primo Topicorum Aristotelis. Cap. IX.

QVODAM loco è primo Topicorum Aristotelis, uis particulæ πρὸς, non satis è latinis interpretibus percipi potest: ubi sic philosophus loquitur. Μὴ λανθανέτω δ' ἡμᾶς, ὅτι τὰ πρὸς τὸ ἴδιον, καὶ τὸ γένος, καὶ τὸ συμβεβηκὸς πάντα λεγόμενα, καὶ πρὸς τὰς ὁρισμὰς ἁρμόσει λέγεσθαι. Non enim uertendum est, ita ut illi faciunt, ad proprium, ad genus, ad euentum, ad definitiones: sed, aduersus. Hoc enim docet philosophus: quæ argumenta afferri solent ad docendum aliquid non esse alicuius rei proprium, aut euentum, aut genus, eadem ualere aduersus definitiones. Nam ut, si quid non reciprocatur, proprium non est, ita neque definitio. & si doceatur, genus non esse id, quod in definitione pro genere positum est: ipsa quoque definitio perimetur. quinetiam si quid ostendatur eorum quæ ad definiendum adhibita sunt, μὴ ὑπάρχειν, tolletur definitio: cum in tollendis etiam euentis eadem ratio ualeat. Est autem ita dictum πρὸς, ut in illis, πρὸς Λεπίνην, πρὸς τὴν Φιλίππου ἐπιστολήν, & similibus. Sic & libro secundo τὰ πρὸς τὴν θέσιν uocauit ea, quæ ad oppugnandam θέσιν ualerent.

Correctus & illustratus locus è secundo Topicorum. Cap. X.

SIQVANDO thesis nobis aliqua impugnanda sit, quæ sterilis, ut ita dicam, & ieiuna sit, neque magnum ullum habeat campum, in quo excurrere possit oratio: qua ratione huic incommodo occurrere ac mederi debeamus, copiose Aristoteles libro secundo Topicorum docet. inter cetera autem quæ ponit apta & accommodata ad orationem in planum ac patentem locum ex illis angustiis educẽ dam, uafrum quoddam & callidum artificium detegit, quo sophistæ uti solerent: ob idq; locum illum sophisticum uocat. τόπος enim plane, non τρόπος, eo loco legendum uidetur. id erat huiusmodi. habebant sophistæ meditatos ac paratos multos diuersis de rebus communes locos. in iis & ornamentorum & argumentorum omni genere abundabant. ergo si forte in suis illis ἐπιδείξεσι, quæstio inciderat quæpiam, ad quam ipsi tractandam minus instructi forent, quacunque uia poterant, abducebant disputationem à re proposita ad unum aliquem è locis illis communibus, in eoq; postea sese iactabant. Id quatuor modis fieri potest. quorum priores duo neminem dedecent: tertius habet aliquid sophisticum: ideoq; parce ac modice eo utendum. quartus autem continet apertam significationem impudentiæ. quare totus sophistis relinquendus est. Primus modus est, cum eorum quæ à nobis sumuntur ad euertendam thesin, aliquid negatur ab aduersario. ita autem res fert, ut ad id ipsum, quod negatur, tractandum instructiores simus, quàm ad eam, cuius causa id sumptum erat, quæstionem. tunc enim licebit, diis hominibusq; approbantibus, quanta maxima poterimus orationis ubertate ac copia uersari in eo confirmando quod negatur. Exempli

cauſſa. finge, diſputari inter duos de ſummo bono: quorum unus in uoluptate illud ponendum eſſe defendat: alter eam ſententiam impugnet. hunc autem ponamus, non ualde tritum eſſe in ea parte philoſophiæ, quæ format mores: ſed in phyſicis egregie exercitatum. nempe igitur ad propoſitam quæſtionem, quæ ethica eſt, non poterit ei magna uis argumentorum ſuppetere. quòd ſi quid phyſicum ageretur, haberet, ubi facultatem oſtentaret ſuam. accingit ſe tamen ad diſputationem: in eamq; ingreditur hoc modo. Motionem omnem imperfectum quiddam eſſe. quare uoluptatem, cum motio ſit, eſſe etiam imperfectum quiddam: neque dignandum ſummi boni nomine. Neget ille alter, quod prioris ſyllogiſmi initio ſumptum eſt. omnem uidelicet motionem eſſe imperfectam. quis inficiari audeat, uoluptatem impugnanti licere, traferre orationem ad demonſtrandum id, quod negatum eſt? pandet igitur uela, & emerſus ex illo, in quo deprehenſus erat, fretu, in explicanda ui ac natura motionis, pleno mari feretur. quippe. eſt enim ea tractatio Phyſicorum. Altera ratio his uerbis ab Ariſtotele exponitur. ὁμοίως δὲ καὶ ὅταν ἐπαγωγὴν πρός τι διὰ τῶν κειμένων ποιησάμενος, ἀναιρεῖν ἐπιχειρῇ. τούτου γὰρ ἀναιρεθέντος, καὶ τὸ προκείμενον ἀναιρεῖται. quæ uerba magnum negocium faceſſerunt Alexandro. ita enim ſane uocemus eruditum illum interpretem, ſi non ſuo, at uſitato tamen nomine. cuius quæ hoc loco ſit ἀμηχανία, uidere eſt. ego autem, cum ab eo diſſentiam, non conſtitui ſententiam ipſius referre. petant eam è libro, qui uolent. meam proponam: ut, cui placuerit, eam ſequatur. Primum igitur Ariſtotelis uerba ita legenda cenſeo. ὁμοίως δὲ καὶ ὅταν ἀπαγωγὴν πρός τι διὰ τῶν προκειμένων ποιησάμενος, ἀναιρεῖν ἐπιχειρῇ. τούτου γὰρ ἀναιρεθέντος, καὶ τὸ προκείμενον ἀναιρεῖται. In quo, ne quis forte aliter putet, profiteor, me unã tantũ litterã ex me mutare eſſe auſum. nam quòd pro, ἐπαγωγὴν, ſcripſi, ἀπαγωγὴν, coniectura ductus, ut uerum fatear, feci. προκειμένου, ubi uulgo legitur κειμένου, apud Alexandrum reperi. idq; melius uiſum eſt, propter id, quod ſequitur: καὶ τὸ προκείμενον ἀνῃρεῖται. ποιαισάμενος, pro ποιησαμένης, antiqua ſcriptura

ptura eſt. ut apparet ex eodem Græco interprete. unam autem litteram mutare, non nimis improbum, neque inuerecundum eſſe arbitror. Nunc dicam, quam ſubeſſe his uerbis ſententiam putem. In illa ſuperiori ratione, abducebatur diſputatio ad antecedentia: hic ad conſequentia abducitur. ait enim, ſi non ſatis multa nobis occurrant argumenta, quæ proprie pertineant ad labefactandam theſin: uidendum eſſe, num quid ex ea conſequatur, quod multis argumentis impugnare poſsimus. licebit enim eò traducere diſputationem: cum, ſi quid alicui conſequens eſt, euerſo eo, id quoque unde conſequitur corruat. Exẽpli gratia. ſi quis diſputet aduerſus eos, qui animos cum corporibus interire cenſent: & oſtendat, eo, quod illi uolunt, poſito, omnem cultum diuinum, atque omnem religionem funditus ſublatum iri. Deinde nactus dicendi cãpum, oſtendat, quanta confuſio ac perturbatio omnium rerum, quanta generis humani miſeria & infelicitas conſecutura ſit, ſublata religione. quæ ſi uel cogitatu horrenda ſunt: exterminanda quoque eſt è mentibus hominum opinio illa, quæ animos mortales facit. eodem modo licebit, diſſerentem aduerſus neceſsitatem fati, oſtendere, ſi ea ſit, ſuperuacaneas eſſe leges: tum diſputare ample ac copioſe de legum dignitate, ac præſtãtia: & quantopere ſint neceſſariæ: utpote quibus, tanquam neruis, hominum ſocietas deuincta teneatur. Hanc ego germanam eſſe Ariſtotelis ſententiam exiſtimo: eamq; facile ex ipſius uerbis elici, ad eum, quem dixi, modum emendatis. Tertius modus eſt, cum uidetur quidem is, qui diſputationem aliò deriuat, neceſſario id facere: neque tamẽ facit. ut ſi quis diſputaturus de motibus animi: repetat ſermonis principia ab iis, quæ de motu apud Phyſicos diſputantur. uidebitur enim auditoribus non acutiſsimis aliquid, quod ad rem faciat, dicere: cum de motu utrobique agatur. ac tũ maxime, ſi aduerſarius eorum aliquid negauerit. Illud autem præteriens admonebo: in hoc loco explicando, ubi apud Ariſtotelem legitur, εἴτε ἀπὸ ἐπαγωγῆς ἐνδόξου, mihi legendum uideri, εἴτε ἀπαγωγῆς ἐνδόξου. Quartus modus eſt, qui

qui neque neceſsitatem, neque neceſsitatis ſimilitudinem habet ullam. quale ſit, ſi τῷ ἀντιπάλῳ inter diſputandum exciderit ſolœciſmus, aut falſa hiſtoria, aut aliquid tale: & tu in eo eum urgeas.

Emendati loci aliquot è libello Q. Ciceronis de petitione conſulatus. Cap. XI.

NVNC, quia non omnes eadem iuuant: eſtq́; κατ' ἐκεῖνο τὸ Ευριπίδειον, μεταβολὴ πάντων γλυκύ, omittamus pauliſper Ariſtotelem: & alios leuioris operæ ſcriptores, quoad poſſumus, adiuuemus. Eſt autem in omni re laudabili atque honeſta, etiam non conſecuta operis effectione, uoluntatis laudanda propenſio. ac quoniam M. Tullii libros à mendis iam aliquot uindicauimus: uoluimus quidem certe: Q. etiam Tullio eius fratri præſtemus idem officium: & quem illius unicum habemus de petitione conſulatus cõmentariolum accuratisſime atque artificioſisſime ſcriptũ, operæ aliquid in eo purgando ſumamus. Igitur ex ipſo quidem limine ac ueſtibulo mendum unum ſuſtulimus iam, iis in ſcholiis, quæ anno in Propertium edidimus. cum enim uulgo ita legatur. Etſi tibi omnia ſuppetunt, quæ conſequi ingenio, aut uſu homines, aut diligentia poſſunt: docuimus, uocem, homines, temere additam, & illud, conſequi, παθητικῶς poſitum eſſe. paulo poſt autem ubi fratris amicitias generatim enumerat: ita legitur. Deinde & amicorum multitudo, & genera appareant. habes enim ea, quæ noui habuerunt: omnes fere publicanos, totum fere equeſtrem ordinem, multa præterea municipia, & cetera. quo loco, quin iſti παντολέτορες, qui præclaras ſuas gloſſas ubique inferciebant, uerbum, habuerunt, de ſuo addiderint, neminem, conſiderata re, dubitaturum opinor. Nam qui tãdem illa noui habuerant? aut quid magni erat, ea habere Ciceronem, quæ noui habuiſſent? Noui igitur, priore ſyllaba producta legendum eſt: ut ſit: ἔχεις γὰρ ἃ ἐγὼδα: non autem, ἔχεις γὰρ ἃ εἶχον οἱ νέοι. leuiuſculum hoc eſt, quod dicturus ſum: ſed dicam tamen. nulla eſt enim tam parua

parua macula, quam, non pulchrum ſit, è bonis libris eluere. ubi ergo eſt, Iam P. Galbam, & L. Caſsium: pro, Iam, legendum puto, Nam. Illud grauius. quòd cum expoſuiſſet multas cauſſas, ob quas Antonium Cicero pro nihilo putare deberet: de Catilina ingrediens loqui, ita ſcribit. Alter uero, dii boni, quo ſplendore eſt? primum nobilitate eadem. num maiore? non: ſed uirtute. Iidem autem illi ſtercorei gloſſographi, quos gloſsis ſuis aliquid aliud facere, non libros contaminare oportebat: ad illa uerba, Primum nobilitate eadem, auctarium addidetunt, qua Catilina. atque ita fuere bardi, ut non animaduerterent, de ipſo Catilina ſermonem eſſe. Nam illa, quæ ſequuntur, Quamobrem qui inanius umbram ſuam metuit, corrupta eſſe uideo: quo modo emendari debeant, non uideo. Venit mihi quidem in mentem aliquid: ſed nihil ſatis firmi. nemo autem, qui præſtat, quod poteſt, quòd quædam non poſsit, reprehendendus eſt.

Ex eodem libello emendati aliquot loci. Cap. XII.

NON eos modo, qui corruptos præſtantium ſcriptorum locos emendant, præclare operam ſuam ponere arbitror: uerum illos quoque, qui, cum aliud nihil poſſunt, eos indicant. proponunt enim hominibus ingenioſis, & copioſa ueterum codicum ſupellectile inſtructis, materiam, in qua ſe exerceant: eosq́; excitant ad aliquid excogitandũ. quod nunc faciam: locumq́; indicabo, ex eodem illo libello, qui ſine dubio corruptus eſt. quomodo corrigi debeat, diuinabit fortaſsis alius. Deinde ut quiſque optimus, ac maxime domeſticus, ut is amet, quiſque fideliſſimum eſſe te cupiat, ualde elaborandum puto: tum ut tribules, ut uicini, ut clientes, ut denique liberti, poſtremo etiam ſeruitus. Huius periodi prima pars ita deformata eſt, ut, quid ſibi uelit, ſuſpicari potius, quàm intelligere, liceat. in extremo autem, ubi eſt, ſeruitus, legendum cenſeo, ſerui tui. Sequitur. Nam fere omnis ſermo

ad

„ ad forenſem famam à domeſticis emanat auctoribus. quæ uerba ut integra & incorrupta ſunt, ita deprauata & male
„ diſtincta, quæ ſequuntur. Deinde inſtituendi ſunt cuiuſ-
„ cunque generis amici ad ſpeciem hominis illuſtris hono-
„ re ac nomine: qui etiam ſi ſuffragandi ſtudia non nauant,
„ tamen afferunt petitori aliquid dignitatis ad iuſtitiam ob-
„ tinendam. Magiſtratus, ex quibus maxime conſules, de-
„ inde tribunos plebis ad conficieudum centurias homines
„ excellenti gratia, qui tribuent centuriam, & cetera. Spero, omnes homines mihi aſſenſuros, nullam omnino ido-
neam ſententiam ex iis uerbis extundi poſſe. Ego autem puto eum facere tria genera amicorum: unum, ad ſpeciē: alterum, ad iuſtitiam obtinendam: ſi quis forte competitorum malis artibus eum deiicere moliatur: tertium, ad conficiendum centurias. ac, ne longum faciam, ita legendum cenſeo. Deinde inſtituendi ſunt cuiuſque generis a-
„ mici. Ad ſpeciem, homines illuſtres honore ac nomine:
„ qui etiam ſi ſuffragandi ſtudia non nauant, tamen afferunt
„ petitori aliquid dignitatis. Ad iuſtitiam obtinendam, ma
„ giſtratus: ex quibus maxime conſules, deinde tribuni ple
„ bis. Ad conficiendum centurias, homines excellenti gratia. Illud autem, Qui tribuent centuriam, alterius periodi principium eſt. quæ ne ipſa quidem uitio uacat. Haud
„ ita multo infra, in eodem libello ita legitur. Et omnino,
„ quoniam eo genere amicitiarum petitio tua maxime ini-
„ tiata eſt, quod cauſſarum defenſionibus adeptus es, &c. Ego pro, initiata libenter legerim, innixa. Paulo poſt.
„ Et quemadmodum memini, quòd nulla in re illis unquam
„ moleſtus fuiſti, ſic cura, ut intelligant, omnia te, quæ ab
„ illis tibi deberi putaris, ad hoc tempus reſeruaſſe. Sed quis eſt, qui cum illas ſermonis ſordes uidet, Memini,
„ quòd nulla in re fuiſti moleſtus illis, non clamet, δότε μοι λεκάνην? Vox, illis, abeſt à quibuſdā olim impreſſis libris. unde mihi ueriſimile fit, ita legi debere. Et quemadmodū
„ nemini ulla in re unquam moleſtus fuiſti, &c.

Ex eodem libello emendati aliquot loci. Cap. XIII.

PRESERTIM cum id tibi caſus afferāt, uti tecū petant, quo-
„ rum amicitiaaut contemnenda, aut fugienda ſit. ex eodem illo commentariolo ſunt hæc: in quibus libentius legerim, Vt ii tecum petant. at hoc nō magni momenti eſt. Illud paulo grauius: quòd, rem honeſtam, ſcripſerūt, ubi ſine dubio ſcribere oportuerat, honeſtatem. Quis enim
„ non offendatur, hæc legens? Hæc tu plane ab iis poſtulato,
„ ut, quoniam nulla impenſa per te alii rem honeſtam, alii
„ ſalutem ac fortunas omnes obtinuerunt: &c. Honeſtatē autem dicit dignitatem & exiſtimationem. Aſſentior etiā homini eruditiſsimo Dionyſio Lambino, qui ignoratione antiqui uerbi locum hunc ex eodem libro deprauatum
„ iudicat. Nam cum id petitur, quod honeſte, aut ſine detri
„ mento noſtro promittere nō poſſumus: quomodo ſi quis
„ roget, ut contra amicum aliquam cauſam recipiamus: bel
„ le negandum eſt: ut oſtendas neceſsitudinem: demōſtres,
„ quàm moleſte feras: aliis te id rebus exacturum eſſe perſuadeas. neque enim cenſet ille, ibi legi debere, Exacturum: ſed, Exſarturum. idemq; ita legit uerſus illos ex Heauton timorumeno:

Ancillas, ſeruos: niſi eos, qui, opere ruſtico
Faciundo, facile uictum exſarcirent ſuum.

unum etiam locum Q. Ciceronis corrigam: qui in optimis omnium Manutianis libris aſteriſco notatus eſt: deinde aliò me conuertam. Ita ergo ibi legitur. Preſertim cum
„ multo magis iraſcantur iis qui negent, quàm iis, quem ui
„ deant ea cauſſa impeditum, ut facere quod promiſit cu-
„ piat, ſi ullo modo poſsit. Legendum autem uidetur, Quā ei, quem uideant, &c. Errorem obiecit obſoleta iam ſcribendi ratio. Eii enim ſcribebant, pro, ei: & reii pro rei. & de eodem genere cetera ad eundem modum.

Quod apud Ciceronem in epistolis ad Atticum legitur, ἐν αἰνιγμοῖς unde sumptum sit. Cap. XIIII.

NOTVM est, Ciceronem in ueteribus utriusque linguæ poetis lectitandis multum fuisse: crebroq; eorum modo integros, modo dimidiatos uersus, modo etiam leuiter immutatos scriptis suis immiscuisse: quin & non nunquam unam aut alteram uocem ab iis sumptam usurpasse, quæ tamen facile ab hominibus in eodem studio tritis agnoscerentur. Tale est, quod in epistola quadam ad Atticum posuit, ἐν αἰνιγμοῖσι. Cum enim diceret, se, si perfidelem haberet tabellarium, omnia de rep. scripturum plane: sin aliter esset: subobscure quidem: sed tamen, ut Atticum facile intellecturum confideret: In iis, inquit, epistolis me Lælium, te
„ Furium faciam. cetera erunt ἐν αἰνιγμοῖσι. Sumpsisse autem hoc uidetur ex Euripide: apud quem in Rheso ita loquitur chorus.

Τὰ δ' ἐκ ἐν αἰνιγμοῖσι σημαίνει κακά.
Σαφῶς γὰρ αὐδᾷ συμμάχους ὀλωλότας.

Prouerbium quoddam, quo Cicero de senectute usus est, ex Euripide sumptum esse. Cap. XV.

PRINCIPIVM libri de senectute è primo Platonis πολιτειῶν prope ad uerbum conuersum esse, nemo paulum modo humanior nescit. sed quod ibi dicentem facit Scipionem de quibusdam senibus, quibus ita odiosa senectus esset, ut onus se Aetna grauius dicerent sustinere: id unde sumptum sit, à nemine, quod sciam, proditum est. Erudi tus sane uir, ac multæ lectionis, qui tot millia παροιμιῶν unum in corpus contulit, hoc non uidit. Est autem ex Euripide: apud quem Ηρακλεῖ μαινομένῳ chorus, qui è senibus constat, iuuentutem quidem celebrat ac prædicat: malam

lam uero, ut ueteres loquebantur, ætatem miris modis exagitat, eiq; multa mala precatur. inter cetera autem, eam dicit onus esse Aetna grauius, quo perpetuo prematur senum caput. Versus hi sunt: qui tamen uulgo aliter leguntur. sed ego ita legendos puto.

ἀ νεότας μοι φίλον.
τὸ δὲ γῆρας ἄχθος αἰεὶ
βαρύτερον Αἴτνας σκοπέλων
ἐπὶ κρατὶ κεῖται.

Sed & apud Plautum non raro ita senes de ætate sua, ut de graui aliquo ac ponderoso onere, loquuntur.

Vt Cicero dixit, conficere famam, ita Græce dici ποιεῖν ὄνομα. Cap. XVI.

IN dialogo de claris oratoribus ita de Catulo loquitur Bru-
„ tus. Catulus erat ille quidem minime indoctus, ut à te pau
„ lo est ante dictum: sed ramen suauitas uocis & lenis appel-
„ latio litterarum bene loquendi famam confecerat. Videtur autem hoc loquendi genus, quo res quæpiam alicui fa mam conficere dicitur, à Græcis manasse. Socrates quidem certe apud Platonem in apologia eo utitur. cum enim dixisset, mirum non nullis uideri posse, si nulla in re ceteris antecellebat, quid tandem ipsi tantam famam, tantamq; inuidiam conciliare potuisset: Ego uero, inquit, conabor demonstrare uobis, quid mihi & famam & calumniam confecerit. Verba, quibus hoc dicit, hæc sunt. κἀγὼ ὑμῖν πειράσομαι ἀποδεῖξαι, τί ποτ' ἐστὶ τοῦτο, ὃ ἐμοὶ πεποίηκε τὸ, τε ὄνομα, καὶ τὴν διαβολήν.

Quod Theopompus de Lacedæmoniis dixit, idem de fortuna quoque merito dici posse. Cap. XVII.

EVOLVEBAM nuper Theodori cuiusdam Metochitæ librum, cuius mihi copiam fecerat, homo cum philosophiæ ac Theologiæ scientia præstans, tum ita comis, atque ama

bilis, ut eum ipsæ suis manibus Gratiæ finxisse ac composuisse uideantur, Sixtus Medices Dominicanus. continet autem liber ille centum uiginti non sane cõtemnendas uariis de rebus disputationes Græco sermone conscriptas: quarũ in una repperimus hæc quæ subiiciemus in fortunæ instabilitatem atque inconstantiam non inurbane, neque illepide dicta: quæ nobis caussa fuit, cur ea hoc loco proponeremus. Theopompus historicus aculeata Lacedæmonios oratione perstringens, improbarum eos mulierum cauponam exercentium similes esse dicebat. quæ hospitibus ad se diuertentibus uinum initio & gustatu suaue, & usu salubre præbent, callide id astuteq; facientes, ut argentum ab eis eliciant. postea uero aliud infundunt uile, & corruptum, & acidum, eoq; ipsos uti cogunt. Sic enim & Lacedæmonios initio eius belli quod aduersus Athenienses gesserunt, callide fecisse, ut ceteros Græcos, tanquam suauissimo poculo oblato, allicerent; cum quasi tabellis publice propositis profiterentur, ac promulgarent, cupere se Græciam à dominatu Athenienſium uindicare. post autem eis amarissima & insuauissima pocula miscuisse, refertæ undique molestiis uitæ, & negociorum acerbissimos dolores inurentium: cũ præficerent ciuitatibus Xuiros, & præsides importunissimos, qui eas tyrannico imperio premerent, agerentq; ea quæ asperrima perpessu, planeq; intolerabilia essent. Sedenim quod Theopompus de Lacedæmoniis dicebat, id meo quidem iudicio de hominum fortuna conuenientius dici potest. quæ quidem multis initio obuiam sese ferens, miris eos adsse blanditiis allicit, tum inani præsentium successuum lætitia complens, tum spe ita semper in posterum fore. ubi autem inhiantes sibi homines sua leuitate in altum sustulit, sæpe eis, præter opinionem maximas exhibet difficultates. nonnunquam etiam illos, qui, futura non prospicientes, magnos spiritus, ipsius inflati fauore, conceperant, deserit: non aliter, quàm dolosus quispiam, & perfidus itineris comes, qui quibus maxime in locis societate, & uiribus, & mutua defensione opus est, ibi potissimum fugiens confisum sibi comitem

comitem derelinquit. Ita fere Theodorus: cuius liber cũ adhuc diuulgatus non sit, iudicaui, si hæc ex eo pauca describerem, non malam me à studiosis gratiam initurum.

Ciceronis è Lucullo correctus & declaratus locus. Cap. XVIII.

EXPERIRI libet, ecquid opera mea corrigi possit locus quidam è Ciceronis Lucullo, quem, cum deprauatum esse constaret, extiterunt etiam alii, qui emẽdare uellent: sed eos, quod petebant, assecutos non puto. habetur autem ibi sermo de iis, qui ab ineunte adolescentia ita se alicui disciplinæ philosophorum addixerant, ut eius omnia placita ac decreta sequerentur: & ut Vlysses Homericus ait, solum Tiresiam apud inferos sapere, ceteros σκιὰς ἀΐσσειν, ita ipsi, qui ex eadem essent hæresi, iis ueritatem patere solis, ceteros omnis uagari temere, & huc illuc à uero aduios ferri iudicarent. negat autem id eos statuere potuisse: non enim aliorum cognouisse rationes: ut, omnibus diligenter examinatis ac perpensis, constituerent, qua tandem una cunctæ aliæ præponderarentur. Scitum autem est illud, siue ἠσιόδειον est, siue, ut creditur, ψευδησιόδειον. Μηδὲ δίκην δικάσῃς, πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς. id igitur non fecisse ipsos: sed infirmissimo tempore ætatis, aut obsecutos amico cuidam, aut una alicuius, quem primum audiissent, oratione captos, de rebus incognitis iudicasse, & ad quancũque disciplinam quasi tempestate delati essent, ad eam tanquam ad saxum, adhæsisse. Porro eandem stultitiam eleganter exagitauit Lucianus in dialogo qui περὶ αἱρέσεων inscribitur. Sed Cicero (eius enim caussa hæc susceptа & instituta oratio est) ita hac de re loquitur. Nã quod dicunt,
„ omnia se credere ei, quem iudicent fuisse sapientem: proba-
„ barem, si idipsum rudes & indocti iudicare potuissent. sta-
„ tuere enim, qui sit sapiens, uel maxime uidetur esse sapien-
„ tis. sed ut potuerunt, omnibus rebus auditis, cognitis e-
„ tiam reliquorum sententiis, iudicauerunt: aut re semel au-
„ dita, ad unius se auctoritatem contulerunt. Ex his postre-

mis

mis uerbis cum appareret, aut nullam ſententiam efficí, aut eam, quæ quodammodo cum ipſius Ciceronis mente pugnaret: uiſum eſt homini eruditiſsimo, & alioqui in ſanandis eiuſmodi uulneribus feliciſsimo, ita legi debere.

„ Sed ut potuerunt, omnibus rebus auditis, cognitis etiam
„ reliquorum ſententiis, iudicare: ita, re ſemel audita, ad unius ſe auctoritatem contulerunt. quam ego correctionem eo probare deterreor: quòd Cicero, ſi ita legamus, fateri uidebitur, eos tanta de re iudicare potuiſſe, ſi omnium ſententias audiiſſent. at rudes & indocti erant. non igitur poterãt, ne auditis quidem & cognitis omnium ſententiis, iudices idonei eſſe. Quocirca alio modo corrigẽdum arbitror: nempe ita, ut pro, potuerunt, legamus, potuerint: pro illo, aut, ſubſtituamus, non, ita, ſed, an: totam autem cõprehenſionem interrogando efferamus,
„ ad hunc modum. Sed, ut potuerint: omnibus rebus audi-
„ tis, cognitis etiam reliquorum ſententiis iudicarunt, an,
„ re ſemel audita, ad unius ſe auctoritatem contulerunt? Ita enim duobus modis eorum iudicium reprehẽdetur. quòd neque iudicare potuerunt, cum rudes & indocti eſſent: &, ut eos potuiſſe demus, (ea enim uis ineſt in his uerbis, ut potuerint) non tamen cognouerunt omnium ſententias: ſed, indicta cauſſa condemnatis aliis, unius auctoritatem ſunt inſecuti. de rebus autem neque auditis neque cognitis recte iudicare nemo quamlibet ſapiens poſsit.

Ciceronis locus ex Iſocrate, ut uidetur, imitatus. Cap. XIX.

ISOCRATES cum Euagoræ laudationem ad Nicoclem eius filium mitteret, principio uſus eſt pereleganti, ualdeq; ad ornandum ac commendandum munus ſuum accommodato. putare enim ſe dixit, ſi quis eorum quæ hic fiunt, ſenſus ad mortuos perueniret, nihil poſſe ipſi Euagoræ accidere optatius, quàm ut res ab ipſo præclare ac fortiter geſtæ eloquentis alicuius hominis uoce, ut ipſarum dignitas poſceret, celebrarentur. non erat autem dubiũ, quin

plurimi facturus eſſet filius id, quod ipſi patri, de quo omnibus modis ornando cogitabat, probatum iri exiſtimaret. perbono igitur, perq; appoſito argumento uſus eſt rhetor ille, cum, cuius laudes oratione ſua complexurus erat, eius ipſius ea de re, quatenus licebat, iudicium ac ſententiam protulit. Vidit id, qui Iſocratis libros diu in deliciis habuerat, multasq; de floribus illius corollas ſibi texuerat, Tullius. itaque cum in ſenatu ageretur de Ser. Sulpicii ſtatua: quam pedeſtrem ſtatui oportere cenſeret: eandem illam Iſocratem rationem adhibuit: ut non immerito credi poſsit, eum Iſocratis locum ipſi tum in mentem fuiſſe. Vtriuſque uerba ponã, ut conferre liceat. Iſocrates. ἠγησάμην Εὐαγόραν, εἰ ἔτις ἐστὶν αἴσθησις τοῖς τετελευτηκόσι περὶ τῶν ἐνθάδε γιγνομένων, εὐμενῶς μὲν ἀποδέχεσθαι καὶ ταῦτα, καὶ χαίρειν ὁρῶντα τήν τε περὶ αὐτὸν ἐπιμέλειαν, καὶ τὴν σὴν μεγαλοπρέπειαν: πολὺ δ' ἂν ἔτι πλείω χάριν ἔχειν ἢ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν, & quæ ſequuntur. Cicero. Mihi autem recordanti Ser. Sulpicii multos in noſtra
„ familiaritate ſermones, gratior illi uidetur, ſi quis eſt ſenſus in morte, ænea ſtatua futura, & ea pedeſtris magis,
„ quàm inaurata equeſtris. Subiicit deinde uterque orator rationes, quibus ueriſimile efficiat, eum illorum fuiſſe ſenſum, de quibus honeſtandis agebatur.

De quodam loco è ſecundo de finibus neque Manutii, neque Victorii ſententiam ueram uideri. Cap. XX.

CICERO libro ſecundo de finibus aduerſus Epicuri ſententiam diſputans, qui in conſtituendis, conſeruandisq; amicitiis ſuam quenq; utilitate ſequi debere affirmauerat; cum aliis argumentis utitur ad eam opinionem labefactandam, tum hoc quoque: quòd iſta ratione ſuas quiſque poſſeſsiones pluris facere deberet, quàm amicos: cum ex illis uberes certiq; plærunque fructus, ex his damna & moleſtiæ non parum fæpe capiantur. His autem uerbis Torquatum, quem ab Epicuro dicentem fecerat, alloquitur. Num

„ Num igitur utiliorem tibi hunc Triarium putas esse posse,
„ quàm si tua sint Puteolis gramina? quæ uerba iampridem diligenter ponderans Paulus Manutius, iudicauerat, aliquid uitii subesse in uoce, gramina: ostenderatq́; se suspicari, pro, gramina, legendum, prædia. Multis annis post, P. Victorius libro VI. Variarum lectionum, uulgatam scripturam defendere conatus est, planeq́; pronunciauit, eam mendo carere. Duobus autem argumentis id probat. primum, quòd gramen non tantum ualeat certam herbam,
„ quam ἄγρωσιν Græci uocant, sed alias etiam ostendat, ex
„ quibus fœnum cogitur. deinde, quòd Cicero libro secundo de natura deorum de eadem re disputans, ita scripserit.
„ Prata, & arua, & pecudum greges diliguntur isto modo,
„ quòd fructus ex his capiuntur. Mihi difficile & arduum uidetur, à duobus eiusmodi hominibus dissentire: quorum utrunque, ut debeo, plurimi facio, alterum etiam incredibiliter diligo. sed tamen quia, quod de se fortissimus ille Troianorum apud Euripidem dicit, = φιλῶ λέγειν τ' ἀληθὲς αἰεὶ κ'ὲ ὐπλῆς πέφυκ' ἀνὴρ, non possum reticere, quid mihi uideatur. Primum igitur, cur Victorii sententiam nonprobem: post cum Manutio agemus. Quid igitur ait homo eruditissimus Victorius? Gramẽ proprie quidem esse eam herbam, quã Græci ἄγρωσιν uocent: interdum tamen id nomen patere latius, ita ut complectatur eas omnis herbas, è quibus cogitur fœnum. quod quidem ita esse, nemo nescit, eorum duntaxat, qui latinarum litterarum penitus rudes non sint. fœnum esse oporteret, siquis, qui tractaret litteras, ad hanc rem doctore egeret. Sed illud quoque intelligendum est, quod Victorius, causſæ, ut opinor, seruiens, omisit dicere, hoc posteriore modo, graminis nomine solos uti poetas: idq́; eadem licentia, qua notum pro quolibet uento, pro qualibet arbore pinum interdũ, aut abietem dicunt. quam licentiam nunquam sibi sumpsisſent, qui soluta oratione scribebant: & minime omnium, nisi fallor, Cicero. nam quòd in eius scriptis nusquam hoc nomen legitur, nisi hic, dubio & controuerso loco, id etsi tantum ualere non debet, ut hæc uox propterea expungatur:

tur: (multa enim sunt apud Ciceronem singularia, & magna pars librorum ipsius intercidit) non immerito tamen, cum presertim alia concurrant, scripturam reddiderit suspectiorem. Victorius certe, quem ego libenter auctorem ac ducem sequor, hoc argumento utitur, ut è quodam loco ex epistolis deleat uocem, fugacia. Non postulo tamẽ, ut hoc mihi in numerum procedat. nam ipse quoque quandam hoc loco uocem reponere cogito, quam nusquam præterea apud Ciceronem reperiri arbitror. id me magis mouet, quòd graminis nomen pro illo toto genere herbarum, pratensium, quibus exiccatis & aridis ad pastionem animalium utimur, apud solos poetas lego. Deinde, ut satis hoc è Ciceronis consuetudine dici posse demus: insulsa tamẽ & illepida erit oratio. hoc enim denique dicet Cicero. Num igitur utiliorem tibi hunc Triarium esse posse putas, quàm si tuæ sint Puteolis herbæ? At, dices: prata hoc loquendi genere intelligit. Et potest cuiquam persuaderi, Ciceronem tam contorte locutum, ut, cum uellet prata dicere, noluerit ea suo nomine appellare, gramina maluerit: ut qui audirent, legerẽt ue, pro graminibus herbas, pro herbis prata accipere necesse haberent? Nam locum quem è secundo de natura deorũ adduxit Victorius, quid ualere ad illam scripturam confirmandam crediderit, nescio: ego, qui eam impugno, eum ipsum locum ualde facere à me puto. Etenim si ita dixisſet Cicero: Gramina, & arua, & pecudũ greges diliguntur isto modo: tacerem, quieſcerem, uerbum amplius non adderem: nullo modo de scripturæ illius integritate dubitarem. nunc quid ait?
„ Prata, & arua, & pecudũ greges & cetera. nempe igitur, ut hic prata suo nomine expresſit, ita illic quoque, si prata dicere uoluisſet, prata dixisſet, non gramina. recte igitur iudicauit Manutius, locum hunc uitio nõ carere. illud minus recte: quòd sine auctoritate uetusti codicis, prædia, pro, gramina, substituendum putauit. Ego in quibusdam
„ satis ueteribus libris ita scriptum reperio. Num igitur uti-
„ liorem tibi hunc Triarium putas esse posse, quàm sint tua
„ Puteolis granaria? atque hæc postrema uox ita etiã in qui-

 busdam

busdam olim excusis legitur. quæ scriptura cum absurdi nihil habeat, cur ei quæ uulgo recepta est, anteponenda non sit, non uideo. nihil enim prohibet, Torquatum hunc granaria quæpiam Puteolis, è quibus magnos fructus perciperet, habuisse.

Qui fuerint Aristotelis libri de philosophia, quodq; illorum argumentum. Illustratus locus è primo libro Ciceronis de natura deorum. Cap. XXI.

VELLEIVS, qui apud Ciceronem de natura deorum Epicuri partes tuetur, principio disputationis suæ, ueterum philosophorum super ea re sententias enumerãdo percenset: credo, ut cum alias omnes aut refellisset, aut illusisset, constitueret eam, quam sequebatur. Ibi de Aristotele ita
„ loquens inducitur. Aristoteles in tertio de philosophia li
„ bro multa turbat, à magistro Platone non dissentiens. & quæ sequuntur. quem locum declarans Petrus Marsus, homo, ut illis temporibus, non contemnendus, multa enim iam tum notauit, de quibus, tanquam nouis, & à se primũ animaduersis, multi hodie sibi placent: is igitur libros Aristotelis de cælo tertium de philosophia librum uocari putat: & ut stultam opinionem suam, quoquo modo poterat, confirmaret, errorem, ut fit, errore cumulat, librorum eius philosophi ridiculum quendam ordinem commẽtus. primum enim de philosophia librum ait esse libro: τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ: secundum, libros φυσικῆς ἀκροάσεως: tertium, libros de cælo. quam ineptiam pluribus uerbis exagitare nihil opus est. id modo admonere, nõ ab re fuerit, scripsisse Aristotelem libros tres, quibus nomen fecerit, περὶ ἀγαθῦ, ἢ περὶ φιλοσοφίας, quibus complexus erat ea quæ in sermonibus à Platone acceperat, itemq; non nulla Pythagoræ dogmata. Numerum librorum à Laertio accepimus: qui in indice scriptorum Aristotelis ponit, περὶ φιλοσοφίας ά

β' γ'. Ipsemet autem eorum meminit libro primo de animo, his uerbis. Ομοίως δὲ καὶ ἐν τοῖς περὶ φιλοσοφίας λεγομένοις διαρίδην. quæ uerba ita exponit Simplicius. περὶ φιλοσοφίας γῶν λέγει, τὰ περὶ τῦ ἀγαθῦ αὐτῷ ἐκ τῆς Πλάτωνος ἀναγεγραμμένα συνουσίας, ἐν οἷς ἱστορεῖ τάς τε Πυθαγορείους, καὶ Πλατωνικὰς περὶ τῶν ὄντων δόξας. ex his autem facile cognosci potest error illorum, qui apud Ciceronem legebant: A magistro Platone uno dissentiens.

Ciceronis è tertio de natura deorum locus ex Aristotele expressus. Cap. XXII.

TEMPER existimaui ea quæ libro tertio de natura deorum Cicero Cottam dicentem facit, ut ostendat, in diis uirtutem inesse non posse, deprompta esse ex Aristotele. Sed ut de hoc meo iudicio ceterorum iudicium faciam, hoc loco utriusque uerba proponam. Ita ergo loquitur Cotta.
„ Quid enim? prudentiam ne deo tribuemus? quæ constat
„ ex scientia rerum bonarum & malarum, & nec bonarũ nec
„ malarũ. Cui mali nihil est, nec esse potest, quid huic opus
„ est delectu bonorum, & malorum? quid autem ratione?
„ quid intelligentia? quibus utimur ad eam rem, ut apertis
„ obscura assequamur. at obscurum Deo nihil potest esse.
„ Nam iustitia, quæ suum cuique distribuit, quid pertinet
„ ad Deos? hominum enim societas, & communitas, ut uos
„ dicitis, iustitiam procreauit. temperantia autem constat
„ prætermittendis uoluptatibus corporis: cui si locus in cæ
„ lo est, est etiam uoluptatibus. nam fortis Deus intelligi
„ qui potest? in dolore, an in labore, an in periculo? quorum deum nihil attingit. Apud Aristotelem autem libro x. de moribus ad Nicomachum hæc leguntur. Πράξεις δὲ ποίας ἀπονεῖμαι χρεὼν αὐτοῖς; πότερα τὰς δικαίας; ἢ γελοῖοι φανῦνται, συναλλάξοντες, καὶ παρακαταθήκας ἀποδιδόντες, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα; ἀλλὰ τὰς ἀνδρείας; ὑπομένοντας τὰ φοβερὰ, καὶ κινδυνεύοντας, ὅτι καλόν; ἢ τὰς ἐλευθερίους; τίνι δὲ δώσουσιν; ἄτοπον δὲ. ἢ καὶ αὐτοῖς ἔσαι νόμισμα, ἢ τι τοιῦτον; εἰ δὲ σώφρονες, τί ἂν εἶεν; ἢ φορτικὸς ὁ ἔπαινος: ὅτι ἀκ ἔχουσι φαύλας ἐπιθυμίας. διεξιῦσι δὲ πάντα, φαίνοιτ' ἂν τὰ περὶ τὰς πράξεις μικρὰ

καὶ ἀνάξια θεῶν. quanquam autem inter utriusque orationẽ non ita magna est dissimilitudo, longe tamen aliud Cottæ, aliud philosophi consilium fuit. Ille enim scelerate & impie efficere uoluit, nullam ullius generis in diis inesse uirtutem. hic, cum docere uellet, τὰς θεωρητικὰς τῶν ἀρετῶν præstare τοῖς πρακτικοῖς, ostendit, has humiliores esse, & abiectiores, quàm ut in diuinam naturam conuenirent. Præclare autem Platonici, omnes omnino uirtutes in deo inesse dicebant, sed longe alio modo, quàm in hominibus: nempe παραδειγματικὰς, καὶ αἰτιώδεις. nobis quidem nihil esse certius atque exploratius debet, quam deum esse principium ac finem omnium uirtutum, bonorumq; adeo omnium: ipsum solum uere ac per se bonum: cetera eo tantum bona, quòd ab ipso proficiscuntur, ad eundemq; referuntur.

Locus è Miloniana cum duobus, Demosthenis uno, altero Lysiæ comparatus. Cap. XXIIII.

CALLIDE & ingeniosè locutus est Cicero in Miloniana, cum illuc uenisset, ut fatendum esset, Clodium à seruis Milonis occisum fuisse. nam qui prospiceret, rem ipsam per se odiosam esse: (nemo enim fere est, qui ad cædis mentionem non exhorrescat, & auersetur eum, à quo illa perpetrata dicitur) noluit eam suo ac proprio nomine appellare: sed eam orationi suæ sententiam intexuit, quæ ad auertendum odium, & ad facinus ipsum excusandum cogitari potuit aptissima. Fecerunt, inquit, serui Milonis, quod suos quisque seruos in tali re facere uoluisset. neque enim non satis ex eo intelligitur, occisum Clodium: sed asperitas rei tollitur, mitigatur quidem certe, cum cogitat quisque, se quoque idem facturum fuisse, si in tale discrimen incidisset. Omnes enim facile ignoscunt, cum quis quid fecit, quod ipsi quoque fecissent. Vsus est autem in re quidem & dissimili & dispari, sed tamen usus est eadem sententia

tia Demosthenes in oratione aduersus Midiã. Se enim dicit, contumeliis affectum, à Midia, id fecisse, quod eorũ, qui iudicabant, quisque sibi faciendum esse duxisset. Ἐγὼ δ' ὅπερ ἂν ὑμῶν ἕκαστος ὑβριζόμενος προείλετο πρᾶξαι, τοῦτο καὶ αὐτὸς ἐποίησα. Idem artificium adhibuit subtilissimus oratorũ Lysias in oratione, quam scripsit ei, qui Eratosthenem quendam in uxore sua deprehensum occiderat. non enim aperte ac simpliciter dicit, eum à se interfectum, sed confecutum ea, quæ legibus constituta essent in eos, qui talia facinora facerent. οὕτως, inquit, ὦ ἄνδρες, ἐκεῖνος τούτων ἔτυχεν, ὥσπερ καὶ νόμοι κελεύουσι τοὺς τὰ τοιαῦτα πράττοντας.

Illustrati Virgiliani uersus è quarto Aeneidos. Cap. XXIIII.

FVROREM illum, quo correpta est Dido, cum cognosset, captum iam esse Aeneæ abeundi consilium, ut magis exprimeret optimus poetarum, comparauit eam cum duobus, qui sæpe in tragœdiis furentes inducebãtur, Pentheo & Oreste. noti autem sunt illius uersus.

Eumenidum ueluti demens uidet agmina Pentheus,
Et solem geminum, & duplices se ostendere Thebas:
Aut Agamemnonius scenis agitatus Orestes,
Armatam facibus matrem & serpentibus atris
Cum fugit, ultricesque sedent in limine Diræ.

ac Seruius eorum exemplorum utrunque à Pacuuio sumptum esse dicit, qui furentem induxerit Pentheũ, idemq; fecerit Orestem sedentem in Apollinis templo, neque audentem egredi: quòd comitata furiis matris umbra limen templi obsideret. neque sane inficias iuerim, potuisse Virgilium hoc à Pacuuio sumere. mihi tamen nescio quo modo uerisimilius fit, hausisse eum ex ipsis fontibus, atque ex Aeschylo potius, & Euripide, quàm è Pacuuio, ornamenta operi suo quæsiisse. apud Euripidem quidem in Bacchis ita loquitur Pentheus.

Καὶ

Καὶ μήν ὁρᾶνμοι δύο μὲν ἡλίους δοκῶ,
Διπτὰς δὲ Θήβας.

Videre uideor iam duos soles mihi,
Duplicesq; Thebas.

apud Aeschylum autem in Eumenidibus ea spectantur, quæ latinus poeta de Oreste perstringit. aut igitur à Græcis illa repetiit, aut à Pacuuio, qui eas, quas nominaui, fabulas uerterat.

M. ANTONII MVRETI
AD HIPPOLYTVM ESTENSEM
S. R. E. CARDINALEM
ILLVSTRISSIMVM,
VARIARVM LECTIONVM
LIBER OCTAVVS.

Poetarum & apum comparatio. illustratus Horatii uersus, Nectæ meo Lamiæ coronam.
Cap. I.

LIBENTER ac sæpe faciunt poetæ, ut se quidem apibus, studium autem suum mellificio cuidam comparent. neque, si quis diligenter inspiciat, parum multa utrisque inter se similia reperientur. Apes in struendis operibus suis naturam tantum magistram sequuntur: artem non adhibent. sic & poetæ natura tantum ualent: arte si qui se poetarum nomen tueri posse confidunt, eos grauissimus auctor Plato pronunciat, nihil unquam egregium ac memorabile effecturos. Itaque Pindarus eo se gloriatur aduersariis suis, Bacchilide nimirum & Simonide, esse superiorē: quòd ipse natura poeta sit, illi autem didicerint à magistris: in quo tantum esse uult, ut eo potissimum nomine se aquilæ, illos coruorum similes esse dicat.

σοφὸς, inquit, ὁ πολλὰ εἰδὼς φυᾷ.
μαθόντες δὲ, λάβροι
παγγλωσσία, κόρακες ὡς,
ἄκραντα γαρύετον
Διὸς πρὸς ὄρνιχα θεῖον.

Apes, nisi iritentur, innocuæ sunt: iritatæ figunt aculeis eos à quibus læsæ sunt, & acerbissimos eis dolores infigunt. idem poetis ingenium. nulla, ubi non læduntur, innocentior

nocentior hominum natio. lacesiti, ita se ulciscuntur, ut interdum eos, quibus offensi erant, ad mortem adegisse narrentur. nam præter id, quod de Archilocho accepimus: noui ego, qui hac ætate, tantum uersibus suis inimico dolorem inusserit, ut ex eo ille fit mortuus. neque non hoc de seipsis poetæ prædicant, quorum sunt illa:

Caue, caue. nanque in malos asperrimus,
Parata tollo cornua. &,
Ne quisquam noceat cupido mihi pacis. at ille,
Qui me commorit: (melius non tangere. clamo)
Flebit, & insignis tota cantabitur urbe.

Quocirca Plato in Minoe præcipit iis, qui bonæ famæ studiosi sunt, ut diligenter caueant, ne cum poetis inimicitias suscipiant. Apes è uariis floribus succum exprimentes, opus dulcissimum conficiunt. Poetæ quoque uagantes per hortos illos Gratiarum & Veneris, de quibus est apud Pindarum, & ex iis bellissimum quodque carpentes, ea concinnant carmina, quibus ne mel quidem ipsum mellitius uideri potest. Inde igitur illa sunt:

Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta,
Aurea perpetua semper dignissima uita. &,
= ego apis Matinæ
More modoq;
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum, circa nemus, uuidiq;
Tiburis ripas, operosa paruus
Carmina fingo.

Est etiam, cum poetæ iucundissima quadam allegoria utentes, poemata sua coronas uocant, quibus aiunt, ornari ac redimi à se caput illius quem laudant. ut in Pythiis: σὺν ἐυμενείᾳ δέξαι στεφάνωμα τόδε. & alibi sæpe. quod imitatus Horatius dixit:

= o quæ fontibus integris
Gaudes, apricos necte flores,
Necte meo Lamiæ coronam
Pimplea dulcis.

Deliciæ autem meæ, Euripides, Hippolytum quoque de hymno, quo Dianam celebrauerat, ita ut de corona quapiam loquentem facit.

Σοὶ τόνδε πλεκτὸν στέφανον ἐξ ἀκηράτου
λειμῶνος ὦ δέσποινα κοσμήσας φέρω,
ἔνθ' οὔτε ποιμὴν ἀξιοῖ φέρβειν ἑοτὰν,
οὐδ' ἦλθέ πω σίδηρος. ἀλλ' ἀκήρατον
μελίσσα λειμῶν' ἦαρινὸν διέρχεται.
αἰδὼς δὲ ποταμίαισι κηπεύει δρόσοις.
ὅσοις διδακτὸν μηδὲν, ἀλλ' ἐν τῇ φύσει
τὸ σωφρονεῖν εἴληχεν εἰς τὰ πάντ' ἀεὶ,
τούτοις δρέπεσθαι, τοῖς κακοῖσι δ' οὐ θέμις.
ἀλλ' ὦ φίλη δέσποινα χρυσέας κόμης
ἀνάδημα δέξαι, χειρὸς ἁγνείας ἄπο.

atque equidem hos uersus, si potero, uel potius, utcunque potero, latine exprimam: ut etiam ii, qui Græce nesciunt, singularem eornm suauitatem quoquo modo odorentur. ab iis autem qui Græca per se satis intelligũt, ualde peto, ut hæc mea aut ne legant, aut conniuentibus oculis legant.

Tibi hanc corollam diua nexilem fero,
Aptam è uirentis pratuli intonsa coma:
Quò neque proteruum pastor unquam inigit pecus,
Neque falcis unquam uenit acies improbæ.
Apis una flores uere libat integros,
Puris honestus quos rigat lymphis Pudor.
Illis, magistri quos sine opera, perpetem
Natura docuit ipsa temperantiam,
Fas carpere illinc: improbis autem nefas.
At tu aureæ regina uinculum comæ
Amica suscipe, pia quod porgit manus.

& quoniam semel audere cœpi, subiungam etiam uersus aliquot ex Edyllio, quod abhinc annos nouem ad FRANCISCVM TVRNONIVM, cardinalem omnibus maximis honoribus dignissimum scripsi. In eo igitur ita erat, in extremo.

Ipse ego tum è terra pennis sublatus Amoris,

Per Charitum, Veneriſq; hortos, pictosq; perenni
Flore ferar campos, & uulgo incognita prata.
Vnde metens uiolasq;, & purpureos hiacynthos,
Intactasq; roſas, immortalesq; amaranthos,
Non prius audito texam tibi more corollam,
Quæ, damnoſi expers ſenii, tua tempora circum
Ardeat, æternoq; nitens ſcintillet honore:
Donec ad Oceani non tinctos fluctibus ignes
Clara Ariadneæ rutilabunt ſigna coronæ.

De quodam loco è libro ſecundo Rhetoricorum Ariſtotelis, aduerſus Petri Victorii ſententiam. Cap. II.

AEQVIORE animo ſe puniri ferunt, quicũque ſe, qui puniantur, dignos putant. Quocirca Ariſtoteles libro ſecundo de arte rhetorica, inter ea quæ ad mitigandum animum pertinent, ponit id quoque, ut iis qui ſibi factam iniuriam cenſent, oſtendamus, ipſos priores in iniuria inferenda fuiſſe, & merito ipſis contingere ea, de quibus queruntur. ira enim ex opinione iniuriæ naſcitur. quare ſi deſinent putare, iniuriam ſibi fieri, iraſci deſinent. Sed in eius rei tractatione quædam uerba ſunt, quorum ſententiam Victorium aſſecutum eſſe non exiſtimo. Sunt autem hæc. Διὸ τῷ λόγῳ δεῖ προκολάζειν. ἀγανακτῆσι γὰρ ἧττον κολαζόμενοι καὶ οἱ δοῦλοι. quæ ita exponuntur à Victorio. Ne facile iraſcamur, & ex tenui quaq; ue ac ſæpe iniuſta cauſa accendamur animo, qua ex re magna ſæpe mala exoriuntur, præcipit, quo modo nos gerere debeamus. Ne temere igitur (inquit) in alios irruamus, non eſt cunctandum ratione animum præparare, & quaſi ante motũ illum caſtigare: hæc enim cauſa eſt, cur ſerui male mulcati æquo animo ferunt, nec ualde indignantur: antea enim iniquam ſuam conditionem cogitantes, tolerandis miſeriis ſe præpararunt: Id autem apud Plautum in milite ſeruum decere Periplectomenus tradit. Nam homini ſeruo ſuos domitos habere oportet oculos, & manus, orationemq; ue. Hæc Victorius, quæ an

uera ſint, neſcio. mihi quidẽ nõ uidentur. Credo autem hoc Ariſtotelem dicere: Cùm reapſe punire aliquẽ uolumus, operæprecium eſſe, ut eum prius oratione caſtigemus, atque efficiamus, ut ipſe plane intelligat, quaſiq; oculis cernat, ſe commeritum pœnam. Nam & ſerui minus indigne ferunt ſupplicia, quæ de ipſis ſumuntur, ſi hoc modo cum eis agamus.

Collatio loci cuiuſdam è Phædro Platonis cum eiuſdem loci interpretatione Ciceroniana. Cap. III.

NOBILEM illum Platonis è Phædro locum, ubi animorũ immortalitas neceſſaria ratione probari creditur, Cicero, ut notum eſt, & in libris de rep. & in primo Tuſculanarum diſputationum interpretatus eſt. mihi autem hoc loco decretum eſt, cum Platonis uerbis, Ciceronis interpretationem, quàm diligentiſsime potero, contendere. puto enim, cum apud utrunque non nulla haud ſatis emendate legantur, ex hac collatione aliquid emerſurũ. Plato. Πᾶσα ψυχὴ ἀθάνατος. τὸ γὰρ ἀεικίνητον, ἀθάνατον. Cicero, omiſſa propoſitione: Nam quod ſemper mouetur, æternum eſt. In quo illud obſeruatione dignum puto, quòd ἀθάνατον uertit æternum. quamuis enim Plato animos non immortales modo faciebat, uerum etiam æternos: neque quicquam apud philoſophos immortale ſit, quod non ſit etiam æternum: tamen hæc uocabula uulgo diſtingui ſolent. cum Cicero plane pro eodem accipiat. Plato. τὸ δ' ἄλλο κινοῦν, καὶ ὑπ' ἄλλου κινούμενον, παῦλαν ἔχον κινήσεως, παῦλαν ἔχει ζωῆς. Cicero. Quod autem motum affert alicui, quodq; ipſum agitatur aliunde, quando finem habet motus, uiuendi quoque finem habeat, neceſſe eſt. Præclare omnino reddita hæc pars uidetur. cum autem illa eiuſdem uerbi repetitio, quæ in Græca oratione nihil habet inſuauitatis, in latino ſermone parum elegans, neque ſatis dilucida fore uideretur, uarietate uitauit hoc incommodi: motum aſſerre, dicens, pro mouere: & agitari, pro, moueri. ſed

& illud ἔχον, in quo colligendi uis ineſt, ita expreſſum eſt, ut nihil melius optari queat. Plato. μόνον δὴ τὸ αὑτὸ κινοῦν, ἅτε οὐκ ἀπολεῖπον ἑαυτὸ, ποτὲ λήγει κινούμενον. ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις ὅσα κινεῖται, τοῦτο πηγὴ καὶ ἀρχὴ κινήσεως. Cicero. Solum igitur, quod ſeſe mouet, quia numquam deſeritur à ſe, nunquam ne moueri quidem deſinit. quinetiam ceteris quæ mouentur, hic fons, hoc principium eſt mouendi. In quibus illa præcipue annotanda duco: ἅτε, commode uerti, quia. & κινήσεως, mouendi. Plato. ἀρχὴ δὲ ἀγένητον. Cicero. Principii autem nulla eſt origo. eleganter. neque enim poterat una uoce dicere ἀγένητον: cum ingenitum ſit ἔμφυτον. Plato. ἐξ ἀρχῆς γὰρ ἀνάγκη πᾶν τὸ γιγνόμενον γίγνεσθαι. αὐτὴν δὲ μηδ' ἐξ ἑνός. Cicero. Nam ex principio oriuntur omnia. ipſum autem nulla ex re alia naſci poteſt. ἀνάγκη γίγνεσθαι, dixit ſimpliciter, oriuntur. & illud, τὸ γιγνόμενον, omiſit. Plato. εἰ γὰρ ἔκτου ἀρχὴ γίγνοιτο: οὐκ ἂν ἐξ ἀρχῆς γίγνοιτο. Cicero. Nec enim eſſet id principium, quod gigneretur aliunde. uidetur ergo apud Platonem legiſſe: εἰ γὰρ ἔκτου ἀρχὴ γίγνοιτο, οὐκ ἂν ἀρχὴ γένοιτο. quod mihi, ne quid diſsimulem, uerius uidetur. Ariſtoteles quoque principiorum tres proprietates eſſe uoluit. ut ne gignerentur ex aliis: ut ne ex ſe inuicem: & ut ex ipſis cetera gignerentur. Plato. ἐπειδὴ δὲ ἀγένητόν ἐστι, καὶ ἀδιάφθορον αὐτὸ ἀνάγκη εἶναι. ἀρχῆς γὰρ δὴ ἀπολομένης, οὔτε αὐτή ποτε ἔκ του, οὔτε ἄλλο ἐξ ἐκείνης γενήσεται. εἴπερ ἐξ ἀρχῆς δεῖ τὰ πάντα γίγνεσθαι. Cicero. Quòd ſi nunquam oritur, ne occidit quidem unquam. nam principium extinctum, nec ipſum ab alio renaſcetur: nec ex ſe aliud creabit. (in quibuſdam libris legitur, recreabit.) ſi quidem neceſſe eſt, à principio oriri omnia. Plato. οὕτω δὴ κινήσεως μὲν ἀρχὴ, τὸ αὐτὸ κινοῦν. Cicero aliquanto liberius. Ita fit, ut motus principium ex eo ſit, quod ipſum à ſe mouetur. Plato τοῦτο δὲ οὔτ' ἀπόλλυσθαι, οὔτε γίγνεσθαι δυνατόν. Cicero. Id autem nec naſci poteſt, nec mori. legit igitur apud Platonem, οὔτε γίγνεσθαι, οὔτ' ἀπόλλυσθαι. & ſane is ordo melior, & magis naturæ conſentaneus uidetur. Plato. ἢ πάντα τε οὐρανὸν πᾶσάντε γῆν συμπεσοῦσαν στῆναι, καὶ μή ποτε αὖθις ἔχειν στῆναι ὅθεν κινηθέντα γενήσεται. Cicero. Vel concidat omne cælum, omniſq; natura, & conſiſtat neceſſe eſt

eſt: nec uim ullam nanciſcatur, qua, ut à primo, impulſa moueatur. Qua in parte id primum animaduertẽdum eſt, uoculam, &, quæ in uulgatis Ciceronis libris non eſt, in ueteribus legi: & neceſſariam uideri. Deinde, cum Plato dicat, πᾶσάντε γῆν: non eſt, ut opinor, dubitandum, quin apud Ciceronem legendum ſit, non, omniſq; natura, ſed, omniſq; terra. In uerbis autem Platonis delendum uidetur illud ſecundum στῆναι, quod neque Cicero agnoſcit, & ſententia repudiat. Poſtremo cum in quibuſdam Ciceronis libris ultima pars ita legatur: Qua primo impulſu moueatur: teſtificor, ueterem ſcripturam à me repræſentatam eſſe: neque dubitare me, quin ea uera ſit. Aὖθις autem reddidit Cicero, ut à primo. Plato. ἀθανάτου δὲ πεφασμένου τοῦ ὑφ' ἑαυτοῦ κινουμένου, ψυχῆς οὐσίαν τε καὶ λόγον τοῦτο αὐτὸ τὶς λέγων, οὐκ αἰσχυνεῖται. Cicero. Cum pateat igitur, æternum id eſſe, quod à ſeipſo moueatur: (in aliis libris, Quod ſeipſum moueat:) quis eſt, qui hanc naturam animis eſſe tributam neget? Vnde intelligimus, apud Platonem legendum πεφαμένου, non πεφασμένου. ſed poſteriorem partem ſi Cicero ita legit, ut hodie legitur: (neque aliter legiſſe puto.) næ ille mirificus in ea conuertenda fuit. Hoc enim dicit Plato: ſi quis ita definiat animum, ut dicat, animum eſſe id, quod ſe ipſum mouet, eam definitionem nunquam auctori ſuo incuſſuram pudorem. nam οὐσίαν, & λόγον, & paulo poſt φύσιν uocat id, quod Ariſtoteles τὸ τί ἦν εἶναι. ea uero ſententia quomodo è Ciceronis uerbis efficiatur, deus aliquis uiderit. Plato. πᾶν γὰρ σῶμα, ᾧ μὲν ἔξωθεν τὸ κινεῖσθαι, ἄψυχον, ᾧ δὲ ἔνδοθεν αὐτὸ ἐξ αὑτοῦ, ἔμψυχον. ὡς ταύτης οὔσης φύσεως ψυχῆς. ubi non dubito, quin legendum ſit αὐτῷ ἐξ αὑτοῦ. Cicero. Inanimum eſt enim omne, quod pulſu agitatur externo. quod autem animal eſt, (in quibuſdam libris, Quod autem eſt animatum,) id motu cietur interiore & ſuo. nam hæc eſt propria natura animæ (in quibuſdam libris, animi) atque uis. Inuertiſſe uidetur Cicero ordinem τῶν προτάσεων, id eſt, feciſſe ἐξ ὑποκειμένου κατηγορούμενον, καὶ ἀνάπαλιν. Plato. εἰ δέ ἐστι τοῦτο οὕτως ἔχον, μὴ ἄλλο τι εἶναι τὸ αὐτὸ αὑτὸ κινοῦν, ἢ ψυχὴν, ἐξ ἀνάγκης ἀγένητόν τε καὶ ἀθάνατον ψυχὴ ἂν εἴη. Cicero.

Quæ

„ Quæ si est una ex omnibus, quæ sese moueat: neque nata
„ certe est, & æterna est.

Correctus & explicatus locus Platonis ex apologia Socratis. Cap. III.

QVOTIDIE magis intelligo, uerum esse id, quod semper existimaui: nullam esse mendam ita pusillam, quam nō permagni interfit, è ueterum monumentis tolli, ac corrigi: neque ullum hominum genus magis prodesse studiis, quàm eos, qui accurate & fideliter operam in illis purgandis emendandisq; ponunt. unius enim litterulæ erratum interdum eas etiam eruditissimis hominibus offundit tenebras, ut, tanquam in illuni nocte errantes, quouis potius perueniant, quàm quò uolunt. quod & sæpe alias animaduerti, & nuper cum Platonicam Socratis apologiam euoluerem. in qua cum alia peccata à Marsilio deprehendi, tum hoc, quod nunc ostendere institui. nam cetera, est cur reiecta in aliud tempus uelim. ad ipsum igitur illius orationis finem ita legitur. Τοσόνδε μέν τοι αὐτῶν δέομαι. τοὺς υἱεῖς μου, ἐπειδὰν ἡβήσωσι, τιμωρήσασθε ὦ ἄνδρες, ταυτὰ ταῦτα λυποῦντας, ἅπερ ἐγὼ ὑμᾶς ἐλύπουν, ἐὰν ὑμῖν δοκῶσιν ἢ χρημάτων, ἢ ἄλλου τοῦ πρότερον ἐπιμελεῖσθαι, ἢ ἀρετῆς. καὶ ἐὰν δοκῶσι τι εἶναι, μηδὲν ὄντες, ὀνειδίζετε αὐτοῖς, ὥσπερ ἐγὼ ὑμῖν, ὅτι οὐκ ἐπιμελοῦνται ὧν δεῖ, καὶ οἴονταί τι εἶναι, ὄντες οὐδενὸς ἄξιοι. καὶ ἐὰν ταῦτα ποιῆτε, δίκαια πεπονθὼς ἐγὼ ἔσομαι ὑφ' ὑμῶν, αὐτός τε, καὶ οἱ υἱεῖς. quæ uerba ita Marsilius reddit. Tantū tamē uos precor ò uiri: ut meos quoq; filios, cū
„ adoleuerint, si ipsi, similiter atque ego, uobis molesti sint,
„ pœnis similiter afficiatis: præsertim si uideantur uobis uel
„ pecuniarū, uel alterius cuiusquā rei maiorē quàm uirtutis
„ curam habere: atque si uideri uelint, putent ue, se alicuius
„ esse precii, cum nullius sint, illos obiurgetis, quemadmodū
„ ego uos: quòd non illis incumbant, quibus est incumben-
„ dum: ac existiment, cum nullius precii sint, se aliquid es-
„ se. Quòd si hæc feceritis, iusta à uobis passus fuero egoq;
„ & filii. In quibus id admirabile atque absurdum uidetur: quid sit cur Socrates ab Athenienſibus petat, filios suos interfici,

terfici, si paternam hominum admonendorum & adiuuandorum consuetudinem, ubi adoleuerint, imitentur. quid enim? peccasse fortasis sibi ipse uidebatur, quòd eam uiuendi uiam insecutus esset? minime omnium. nam se in eo & deo obtemperasse dixerat, & meritum, ut ea caussa in Prytaneo aleretur. &, si uita daretur longior, unquam aliter facturum negarat. qua igitur de re ipse se merito amabat, summisq; dignum honoribus uere gloriabatur: quid erat caussæ, cur eius in studio uersari filios nollet? At, dicet fortasse aliquis: ita demum eos ab Athenienſibus ultimo supplicio affici cupit, si ita reprehendant alios, ut ipsimet interim nihili sint, aliarumq; rerum maiorem, quàm uirtutis, curam gerant. Ita ne quæso? Sic quoque eos morte multari, quàm admoneri, ac corrigi mauult? nam si diceret se petere, primum ut liberi sui, si quid peccarent, reprehenderentur, atque increparentur diligenter: deinde, si uiderentur ita deprauati, ut corrigi non possent, uita priuarentur denique: non inhonesta, neque aliena personæ Socratis esset oratio sed & multa alia proferre possem, quibus eius sententiæ absurditas ostenderetur: nisi satius ducerem, iis omisis, ueritatem ipsam detegere, cuius splendor exigui erroris nubecula obumbratus Marsilii aciem fugit. Vbi enim λυποῦντας uulgo legimus, legendum est λυποῦντες. qua tantula mutatione scripturæ, quanta fiat sententiæ mutatio, uideamus. hoc enim dicit Socrates. Peto à uobis Athenienses, cum filii mei adoleuerint, ut eos ulciscamini, easdem illis molestias exhibentes, quas ego uobis exhibere consueueram: si aut pecuniæ, aut ullius omnino rei, quàm uirtutis, studiosiores esse uideantur. Quas enim solebat exhibere molestias Athenienſibus Socrates? admonebat eos, urgebat, instabat, ne ullam rem uirtute potiorem esse ducerent: ne ue quicquam illius studio præuertendum putarent. eandem igitur molestiam filiis suis exhiberi cupit. itaque addit. Quòd si, nihili cum sint, aliquid tamen esse se existiment: exprobrate eis, ut ego uobis, quòd non in iis, in quibus oportet, studium collocent: quodq;, nulli precii cum sint, aliquid se esse arbitren-

arbitrentur. Id enim se fecisse ipsemet dixerat: cum eos, qui se sapientes putabant, longe abesse à sapientia ostenderet. Sequitur. Hæc si feceritis: tum & mihi & filiis meis id quod iustum est, tribueritis. Mihi quidem: quoniam quod ego beneficium in uos contuli, id uos conferetis in filios meos. Ipsis autem: quoniam afficietis illos ea pœna, quæ errantibus debita est. Quænam autem pœna illa sit, è primo πολιτειῶν cognoscere est: ubi cum Thrasymachus quæsisset de Socrate, quid tandem perpeti paratus esset, si ipse talem iustitiæ definitionem attulisset, quæ reprehendi nullo modo posset: Quid uero, inquit, aliud, Socrates, quàm quod eum perpeti par est, qui aliquid nescit? par est autem eum à sciente discere: egoq; de me quominus ea pœna sumatur, non recuso. Hæc tam præclara sententia in unius litteræ peruersione latuerat.

Virgilii uersus è sexto Aeneidos ex Homero imitati. Cap. v.

Cvm studiose fecerint aliquot eruditi homines, ut indicarent locos Homeri, quos Virgilius imitatus esset: multos tamen (neque aliter in tanta copia fieri potuit) prætermiserunt. qualis est ille è sexto Aeneidos: ubi, accipiente in nauim Charonte

Ingentem Aenean, gemuit sub pondere cymba
Sutilis, & multam accepit rimosa paludem.

ita enim Iliados ε, cum insiliret Minerua in currum Diomedis, gemuisse sub tanto pondere axis faginus dicitur.

Ἡδ' ἐς δίφρον ἔβαινε παρὰ Διομήδεα δῖον
Ἐμμεμαυῖα θεὰ. μέγα δ' ἔβραχε φήγινος ἄξων
Βριθοσύνῃ. δεινὴν γὰρ ἄγεν θεὸν, ἄνδρα τ' ἄριστον.

Notatum Petri Victorii μνημονικὸν ἁμάρτημα. Cap. vi.

Petrvs Victorius libro sexto uariarum lectionum, narrans notum illud Socratis somnium, quo, cum in custodia publica esset, præuidit, sibi post tertium diem esse moriendum, admonitus illo uersu,

Ἡματί κεν τριτάτῳ φθίμην ἐρίβολον ἵκοιο:

„ Versum, inquit, esse è primo libro Iliados notum est, pro-
„ nũciaturq́; illic ab Agamemnone in iurgio illo: cum enim
„ dixisset Achilles se domum reuersurum, copiasq́; suas è
„ bello abducturũ, compulsum iniuriis ipsius, libere permi-
„ sit illi, ut hoc, si uellet, faceret, rex regum: utque se o-
„ stenderet nihil curare discessum illius, monstrauit in ser-
„ mone, eum breui tempore domum peruenturum. Hæc Victorius. quæ omnia, ut uno uerbo dicam, falsa sunt. uersum enim illum esse, non è primo, sed è nono libro Iliados, notum est: pronunciaturq́; illic non ab Agamemnone, neque in iurgio: sed ab Achille, qui Vlyssem alloquẽs, abiturum se dicit, &, si Neptunus prosperum cursum dederit, tertio die in patriam peruenturum.

Εἰ δέ κεν ἀ πλοίην δώῃ κλυτὸς Ἐννοσίγαιος,
Ἡματί κεν τριτάτῳ φθίμην ἐρίβωλον ἱκοίμην. id est,
Quòd si Neptunus facilem dederit mihi cursum,
Tertia lux Phthiæ lætis me sistet in aruis.

cur autem apud Platonem ex ἱκοίμην factum sit ἵκοιο, facile est uidere. Neminem igitur memoriæ suæ ualde confidere oportet: cum Victorium quoque ipsum, tanta doctrinæ copia præditum hominem, in rebus non abstrusis neque reconditis, interdum tamen uacillare uideamus.

De facultate contrariorum. emendatus & declaratus locus è secundo Aristotelis de arte dicendi. Cap. VII.

TRIBVS modis intelligi potest id, quod in philosophorum scholis tritum ac celebratum est, contrariorum eandem esse uim ac potestatem. aut enim de ui ea quæ inest in ipsis contrariis, aut de ea, qua contraria apprehenduntur, aut de ea qua efficiuntur. nos, docendi caussa, uim insitam, uim percipientem, & uim efficientem uocabimus. Ergo si de ui insita quis loquatur, non eadem est uis ac potestas contrariorum, immo uero contraria. exempli gratia: non eadem uis est insita frigori ac calori: cum frigus contrahendi uim habeat, laxandi calor: non eadem albo & nigro: cum illud uisionem disipet, hoc colligat. omnino autem, cum de hoc genere potestatis proprie ac per se agitur: ualet illa regula, quæ posita est in primo dialectico rum, Contraria de contrariis dicta, probabilia esse. Quòd si agatur de ui percipiente: tum simpliciter & absolute dici potest, eandem esse uim contrariorum. etenim album & nigrum eadem facultate cognoscimus: itemq; consonũ & dissonum: calidum & frigidum, & similia. & de hac potestate intelligendus est locus ille è principio quinti Ethicorum, ubi hoc dicitur. quinetiam ob hanc ipsam caussam contrariorum eadem est ars, eademq; scientia. πᾶσαι γὰρ αἱ τέχναι, καὶ αἱ ποιητικαὶ, καὶ αἱ ἐπιστήμαι, δυνάμεις εἰσίν. ait Aristoteles lib. octauo τῶν μετὰ τὰ φυσικά. Vbi autem sermo est de potestate efficiente, adhibenda quædam distinctio est. nam caussa efficiens contrariorum & quodammodo eadem est, & quodammodo non eadem. nempe eadem quidem genere, sed non eadem specie. Verbi caussa: eadem res efficit sanitatem & morbum: nempe temperatio quatuor humorum, è quibus corpus constitutum est. sed illam bona temperatio, hanc mala. itidemq; efficiendæ uir tutis, & efficiendi uitii potestas eadem in re sita est: in con suetudine. non tamen una eademq; consuetudo uitiosum & uirtute

& uirtute præditum efficiet hominem: sed contraria. atque ita intelligendus est locus ille è secundo Rhetoricorum: ἡ γὰρ αὐτὴ δύναμις τῶν ἐναντίων, ἡ ἐναντία. in quo Victorius sui se dissimilem præbuit. legendum autem ibi est, ἡ ἐναντία: non, ut uulgo legitur, ἢ ἐναντία. quod ego cum à primo coniectura tantum fretus iudicassem: repperi postea libros & calamo notatos, & typis descriptos, qui opinionem confirmarent meam. Quòd si una eademq; specie, aut etiam numero res potestatem efficiendi contraria in se continere dicatur: id necesse erit contingere aut non in eodem ὑποκειμένῳ: aut quod, si idem sit, non sit tamen affectum eodem modo: aut contraria illa non eadem ratione efficientur, aut non eodem quasi instrumento. Vt idem ignis & astringit & resoluit: sed astringit fortasse corium: ceram aut glaciem laxat. Aestas appetentiam rerum Venerearum & auget, & minuit: sed minuit in uiris: auget in feminis. Ebrietas alii garrulitatem affert, alii silentium, doctrinæ copia alii confidentiam, alii timiditatem. Fieri etiam potest, ut sit idem ὑποκείμενον: sed non eodem modo affectum. ut uini aut Veneris usus uni eidemq; homini, sed aliter atque aliter affecto, modo salubris est, modo noxius. Quòd si & idem sit, & eodem modo affectum: oportebit, ut dixi, contraria illa aut non eodem modo, aut non eodem quasi instrumento effici. Nam diuturna niuis contrectatio & frigus affert, & calorem: sed alterum quidem per se, alterum per quandam ἀντιπερίστασιν. Vinum & humectat, & exsiccat: sed altrum per se, alterum κατὰ συμβεβηκός. sic senectus adueniens & sicciores & humidiores facit. At idem medicus eundem hominem & interficere potest, & sanare. non tamen eodem plane instrumento. sed hoc remedio, illud ueneno. & idem geometres potest in eodem auditore & scientiam, & ignorantiam efficere: sed illam demonstratione, hanc paralogismo. Hæc mihi de hisce rebus cogitanti uenerant in mentem: quæ cũ haud prorsus ἀφιλόσοφα uiderentur: placuit, aliorum iudicio committere.

Alius locus ex eodem libro explicatus. Cap. VIII.

INEST obscuritatis aliquid etiam in iis uerbis, quæ proxime antecedunt eum, quem modo adduximus, è rhetoricis locum. ait enim Aristoteles: si unum contrariorum eã naturam habeat, ut aut esse, aut fuisse possit: posse id probabiliter etiam de altero colligi. quod quidem uerum esse non uidebitur, nisi, quomodo hic accipiatur δυνατὸν, intelligas. idq; Victorium nullo modo attigisse miror. Δυνατῦ enim nomen interdum ita late patet, ut amplectatur & id quod necessario uel fit, uel est, καὶ κατὰ τὰς ἄλλας τῦ χρόνου διαφορὰς: & id quod citra ullam necessitatem. interdum autem ad hoc tantum genus, quod posteriore loco posuimus, pertinet, καὶ ἀντιδιαιρεῖται τῷ ἐξ ἀνάγκης. Illo priore modo si accipias, falsum erit, quod hic ab Aristotele traditur. non enim si potest ignis esse calidus, sequitur, ut etiam frigidus esse possit. neque si potest moueri cælum, potest etiã quiescere. nam in iis quæ necessario sunt, non utrunque cõtrariorum est τῶν δυνατῶν, sed alterum tantum: neque utrumlibet, sed certo ac definite alterum. Nemo autem cauilletur hic, motum & quietem non esse proprie contraria. constat enim, hic, ut sæpe alibi, Aristotelem accipere τὰ ἐναντία ἀντὶ τῶν ὁπωσδηποτῶν ἀντικειμένων. posteriore igitur modo accipiendum hoc loco est τὸ τῦ δυνατῦ ὄνομα. & ita uerissimum erit, quod docetur. nam hoc modo πᾶν τὸ δυνατὸν εἶναι, δυνατόν ἐστι καὶ μὴ εἶναι. Ita disputantur hæc ab Aristotele ἐν τῷ περὶ ἑρμηνείας.

Correctus Ciceronis locus ex oratione pro C. Rabirio perduellionis reo. Cap. IX.

MISERA est ignominia iudiciorum publicorum: misera
„ multatio bonorum: miserum exilium. sed tamen in omni
„ calamitate retinetur aliquod uestigium libertatis. mors
„ denique si proponitur, in libertate moriamur. carnifex uero,

„ uero, & obductio capitis, & nomen ipsum crucis absit nõ
„ modo à corpore ciuium R. sed etiam à cogitatione, oculis,
„ auribus. harum enim omnium rerum non solum euen-
„ tus atque perpessio, sed etiam conditio, expectatio, men
„ tio ipsa denique indigna ciue R. atque homine libero est.
Ciceronis hæc uerba sunt è luculenta illa oratione, qua cõ sul C. Rabirium defendit perduellionis reum. in quibus cum duæ uoces, seu merito, seu immerito, semper mihi suspectæ fuerint: non possum, quin suspectionem meam exponam. Harum uocum prior est, obductio. quanquam enim non sum nescius, obducere, interdum esse idẽ, quod, obtegere: libentius tamen hoc loco legerem, obnuptio. nam quòd hoc uocabulum nusquam alibi apud Ciceronem legatur: ne obductio quidem. & obnuptio melius, ni fallor, conueniret cum diro illo & horrendo carmine, quod paulo supra recitauerat: Caput obnubito: arbori infelici suspendito. Altera earum, quas dixi, uocum est conditio: pro qua mallem, condictio. Etenim condicere, uetere lingua, est denunciare: & condictio, denunciatio: ut & ueteres grammatici, & iurisconsulti docent. quo sensu, mirifice hic, ut opinor, quadraret. Sed hæc opinione tantum nixa sunt. quare cohibeamus assensionem, dum aliquid certius & exploratius afferatur.

Ciceronis loci duo ex Aeschine, ut uidetur, imitati. Cap. X.

CICERO, cum in tertia oratione in Catilinam commemoraret ea signa, eaq; prodigia, quibus dii immortales imminens periculum præmonstrauerant, populumq; R. ut sibi caueret, præmonuerant, affirmauit, eos ita præsentes opem tulisse, ut pene oculis uideri possent. & paulo post, tam multa signa se consule diuinitus extitisse dicit: ut hæc, inquit, quæ nunc fiunt, canere dii immortales uiderẽtur. Credi autem potest imitatus esse hac in parte locum illum Aeschinis ex oratione aduersus Ctesiphontem: ubi ait, deos ita prædixisse, ac præsignificasse populo Athieniensi mala,

mala, quæ ei rhetorum quorundam culpa imminerent, ut prope humana uoce assumpta clamarent, cauendum esse. Verba Græci oratoris hæc sunt. ἀλλ' ὑ προλεγον, ὑ προεσήμαινον ἡμῖν οἱ θεοὶ φυλάξασθαι, μονονὺκ ἀνθρώπων φωνὰς προσκτησάμενοι. nam quod, uidere oculis, ibi Cicero dixit, eodem loquendi genere Aeschines usus erat paulo supra: etsi non eadem de re loquens. ὁρᾶτε τοῖς ὀφθαλμοῖς τὸν ἐξάγιστον καὶ ἐπάρατον λιμένα τετειχισμένον. eam autem orationem conuerterat, ut quidem creditur, Cicero. quo facilius ipsi, quæ ex ea imitaretur, in mentem uenire potuerunt. nam pulcherrimum illum locum è secunda agraria, Ponite ante oculos uobis Rullum in Ponto: & illum item ex undecima Philippica,

„ Ponite igitur ante oculos P. C. miseram quidem illam &
„ flebilem speciem, sed ad incitandos animos uestros neces-
„ sariam, nocturnum impetum in urbem Asiæ clarissimam,

& quæ sequuntur: eorum igitur locorum utrunque quin ex eadem Aeschinis oratione expresserit, non sane admodum dubito. Locus autem Aeschinis, unde illos imitatos esse credo, hic est. Γένεσθέ μοι μικρὸν χρόνον, τὴν διάνοιαν, μὴ ἐν τῷ δικαστηρίῳ, ἀλλ' ἐν τῷ θεάτρῳ, καὶ νομίσατε ὁρᾶν προϊόντα τὸν κήρυκα, & cetera. & paulo post: Αλλ' ἐπειδὴ τοῖς σώμασιν ὑ παρεγένεσθε, τοῖς γε διανοίαις ἀποβλέψατ' αὐτῶν εἰς τὰς συμφορὰς, καὶ νομίσατε ὁρᾶν ἁλισκομένην τὴν πόλιν, τειχῶν κατασκαφὰς, ἐμπρήσεις οἰκιῶν, ἀγομένας γυναῖκας, καὶ παῖδας εἰς δουλείαν, πρεσβύτας ἀνδρώπους, πρεσβύτιδας γυναῖκας, ὀφὲ μεταμανθάνοντας τὴν ἐλευθερίαν, κλαίοντας, ἱκετεύοντας ὑμᾶς, ὀργιζομένους, ὑ τοῖς τιμωρκμένοις, ἀλλὰ τοῖς τούτων αἰτίοις. quo quidem subiectionis exemplo uix ullum posse reperiri pulchrius puto.

E declamatione in Salustium loci aliquot, qui ex Aeschine expresi uidentur. Cap. XI.

Ex eadem Aeschinis oratione sumptum est id, quod positum est ad finem illius declamationis, qua Cicero, tanquam à Salustio prouocatus, respondere ei fingitur. ita enim

„ nim ibi scriptum est. Finem dicendi P. C. faciam. sæpe e-
„ nim grauius uidi offendere animos auditorum, eos, qui
„ aliena flagitia aperte dixerunt, quàm eos qui commise-
runt. apud Aeschinem enim ita legimus. ἤδη γάρ ποτε εἶδον μισηδέντας τοὺς τὰ τῶν πλησίον αἰσχρὰ λίαν σαφῶς λέγοντας. quod autē statim subiungitur: Mihi quidem ratio habenda est, non, quid Salustius merito debeat audire: sed ut ea dicam, si qua ego honeste effari possum: uidetur imitatum ex illo Demosthenis. ὀκνῶ, μὴ περὶ σᾶ τὰ προσήκοντα λέγων, αὐτὸς ὑ προσήκοντας ἐμαυτῷ δόξω προοιμιάσθαι λόγους. aut ex hoc, quod in eadem oratione legitur. πολλὰ γὰν ἕτερ' εἰπεῖν ἔχων περὶ αὐτοῦ παραλείψω. ὑ γὰρ ὅσ' ἂν δείξαιμι προσόντ' αἰσχρὰ τούτῳ καὶ ὀνείδη, πάντ' οἶμαι δεῖν ἀχρεῶς λέγειν: ἀλλ' ὅσα μηδὲν αἰσχρόν ἐστιν εἰπεῖν ἐμοί.

Inficetum, non, ut uulgo, Infacetum scribi oportere: & ex eadem coniugatione cetera ad eundem modum. Cap. XII.

Cum iampridem in ueteribus Catulli libris scriptum reperissem,

O sæclum insipiens, & inficetum: itemq;
Pleni ruris & inficetiarum: &
Idem inficeto est inficetior rure:

præterieram ea omnia, tanquam errata librariorum: eramq; secutus uulgarem consuetudinem, qua iam receptum est, ut per a litteram, non per i, cuncta illa uocabula & scribantur, & pronuncientur. nuper autem cum ea de re paulo attentius cogitassem, plane adductus sum in eam sententiam, ut ueterem illam scribendi rationem probam & incorruptam: eam autem, qua uulgo nunc utimur, prauam, & corruptam iudicarem. Vt enim ab æquo, non inæquus, sed iniquus: & ab amico, non inamicus, sed inimicus: & à sapiente, non insapiens, sed insipiens: & à facio, non infacio, sed inficio dicitur: sic à faceto, non infacetum, sed inficetum dicendum uidetur. Nam illud quoque non nihil est, quòd Angelum Politianum,

num, eruditiſsimum, & accuratiſsimum hominem, ita ſcribere ſolitum conſtat. Hermolaus quoque Barbarus, qui, quæ urbs orbis terrarum lumen eſt, eius ipſe urbis maximum lumen fuit, ita ſcribenda hæc cenſuit. illius enim uerba hæc ſunt ex emendationibus Plinianis. Cum inficetus, non infacetus, dicatur, auctore uel Catullo, ſcribendum eſt, Inficetiſsime.

Correctus & illuſtratus Ariſtotelis locus è libro quinto Ethicorum. Cap. XIII.

ARISTOTELES libro quinto Ethicorum cum ius ciuile ita diuiſiſſet, ut aliud naturale eſſe, aliud legitimum diceret: legitimi exempla hæc poſuit, Mina captiuos redimere: capram, non oues duas immolare: Braſidæ ſacra facere. quorum primum & poſtremum unde ſumpta ſint, ſatis conſtat: medium ita non commune ac contritum eſt, ut Michael Epheſius temere id confictum, non ex ulla hiſtoria ſumptum putarit, Quod cũ mihi ſemper ſuſpectum uiſum eſſet: memini me, octo abhinc annos, cum eum librũ Luteciæ publice interpretarer, ita dicere: mendoſam mihi eius loci ſcripturam uideri: ſic tamen, ut non magno negocio corrigi poſſet. neque enim legendum, αἶγα θύειν, ἀλλὰ μὴ δύο πρόβατα: ſed, αἶγα Διὶ θύειν, ἀλλὰ μὴ πρόβατα: id eſt, capra, non ouibus, rem diuinam Ioui facere. Id acceptum eſſe ex Herodoto, qui in Euterpe narrat, ab iis Aegyptiis, qui Iouis Thebani templum accolunt, ſunt ue è Thebana præfectura, non oues, ſed capras tantum immolari: cum contra, qui ſunt è præfectura Mendeſia, capris abſtineãt, immolent oues. utriuſque autem ritus fabuloſas quaſdam origines pluribus uerbis perſequitur. Hoc ex me poſtea auditum Dionyſius Lambinus, homo ſingulari doctrina & acerrimo iudicio præditus, ita probauit, ut interpretationem Ariſtotelei loci ſuam, ad meam correctionem accommodarit.

Verbum

Verbum διαψεύδεσθαι, quo dam loco è ſecundo Rhetoricorum Ariſtotelis non uideri ita accipiendum, ut Victorius cenſuit. Cap. XIIII.

TRIA omnino ſunt, quæ efficiunt, ut ii qui conſilium dant, digni iudicentur, quibus credamus, quosq; duces in rebus ſuſcipiendis ac gerendis ſequamur: prudentia, probitas, & beneuolentia erga nos. horum trium ſi quid abfuerit, non ſatis tutum eſt, eorum conſilio fidere. nam & quitum bonus uir erit, tum amicus nobis, ſi idem parum prudens ac conſideratus fuerit, falſus ipſe, nos fallet. & qui callidus atque acutus eſt, ſi aut improbus ſit, aut male animatus in nos, in fraudem inducet potius, quàm bono & utili conſilio adiuuet. etiam ſi qui & prudens eſt, & uir bonus, niſi beneuolentia nos aliqua complectatur, non ualde laborabit, quid nobis futurum ſit. itaque dabit quidem ille nobis conſilium bona fide, & ſine fallacia: ſed tamen non ita cogitate, ut ſi aliqua nobis cum ipſo eſſet coniunctio. quare poterit fallere. quòd ſi etiam inimicus ſit: nunquam ſane nobis auctor erit, ut id faciamus, quod ipſe nobis optimum fore cognoſcet. tria illa in quo inerunt, is neque uolet fallere, & uix poterit falli. Hoc Ariſtoteles libro ſecundo Rhetoricorum his uerbis docuit. Τῶ μὲν οὖν αὐτοὺς εἶναι πιστοὺς τοὺς λέγοντας, τρία ἐστὶ τὰ αἴτια. τοσαῦτα γάρ ἐστι, δι' ἃ πιστεύομεν, ἔξω τῶν ἀποδείξεων. ἔστι δὲ ταῦτα, φρόνησις, καὶ ἀρετὴ, καὶ εὔνοια. διαψεύδονται γὰρ περὶ ὧν λέγουσιν, ἢ συμβουλεύσιν, ἢ διὰ πάντα ταῦτα, ἢ διὰ τὰ τούτων τι. ἢ γὰρ δι' ἀφροσύνην οὐκ ὀρθῶς δοξάζουσιν, ἢ δοξάζοντες ὀρθῶς, διὰ μοχθηρίαν οὐ τὰ δοκοῦντα λέγουσιν, ἢ φρόνιμοι μὲν καὶ ἐπιεικεῖς εἰσιν, ἀλλ' ἀνόητοι. διόπερ ἐνδέχεται μὴ τὰ βέλτιστα συμβουλεύειν γιγνώσκοντας. καὶ παρὰ ταῦτα οὐδέν. quibus in uerbis Petrus Victorius illud διαψεύδονται, exponit, labuntur, ac decipiuntur: & probat, id uerbum interdum eo ſenſu capi, probato alio quodam Ariſtotelis loco. Ego autem, ut probes, uerbum πολύσημον hoc aut illo modo accipi, non

puto hoc satis esse, si doceas, etiam alibi eam uim habere. uidendum illud quoque arbitror, ea, quam affe ras, interpretatio ei loco, quem declares, conueniat ne an minus. nam si in illo uersu,

Depresso incipiat iam tum mihi taurus aratro
Ingemere: dicerem, taurum esse secundum signum Zodiaci: non eo minus errarem, si ostenderem, eam uocem id ualere in illo,

Candidus auratis aperit cum cornibus annum
Taurus.

Quanquam igitur διαψεύδεσθαι interdum ualet idem, quod labi ac decipi: tamen qui in eo, quem recitaui, loco ita exponat, labi ipsum ac decipi puto. nam is qui cognoscens, quid sit optimum factu, nihilo minus aut malitia, aut odio ductus, aliud suadet, διαψεύδεται ex Aristotelis sententia: neque tamen labitur ac decipitur: sed fallit ac decipit. ergo præstare arbitror, ut, διαψεύδονται, exponamus, fallunt. quòd si quis obiiciat, id uerbum hoc sensu non conuenire in eum, qui uir bonus amicusq; sit, sed per imprudentiam inutile consilium det: huic ego respondeo, fallere dici non nunquam etiam illos, qui sine ulla mala, ut ait Plautus, malitia, in errorem inducunt eos, quibuscum agunt. Non enim uetus illud iusiurandum ita concipi uoluissent, Si sciens fallo: nisi etiam inscientem posse falere iudicassent.

Quid apud Catullum, asini nomine intelligendum esse uideatur. Cap. XV.

ASINVM uidetur Catullus dixisse, non animal, quod uulgo notum est: sed lapidem molarem: in epigrammate, quo exagitauit Aemilii cuiusdam deformitatem, quem ait pistrino atque asino tradi oportere. Græci certe & bestiã illam, & molam eodem nomine appellant. itaque Hesychius ὄνον ait esse superiorem in pistrino lapidem: Eustathius autem, τὸ κινούμενον τῷ μύλου. & in primo ἀναβάσεως ita scriptum est: Οἱ δὲ ἐνοικοῦντες ὄνους ἀλέτας περὶ τὸν ποταμὸν ὀρύττοντες,

τες, καὶ ποιοῦντες, εἰς Βαβυλῶνα ἄγον, καὶ ἐπώλουν, καὶ ἀνταγοράζοντες σίτον, ἔζων. quorum uerborum hæc est Romuli Amasæi intepretatio. Incolæ asinarias molas circa flumen cædunt, excusasq; Babylonem deportant, iisq; uenditis coempto frumento famem leuant. qui cur asinarias molas dixerit non uideo. ego lapides molares tantum dixissem. nam illud ἀλέτους additum est in Græco sermone ad tollendam uocis ambiguitatem, quæ in latino nulla est. Quinetiam piscem ὄνον ex eo uocatum esse credo: quod in cerebro lapides habeat molarum similes. quanquam alii ab asinini corii similitudine dictum autumant.

Male conuersos uideri à Cicerone tres Euripidis uersus. Cap. XVI.

NON sine caussa, ait Cicero, cum Orestem doceret Euripides, primos tris uersus reuocasse dicitur Socrates.

Neque tam terribilis ulla fando oratio est,
Neque fors, neque ira cælitum inuectum malum,
Quod non natura humana patiendo ferat.

Qui, si cuique fas est, id quod sentit, dicere, uidetur eorum uersuum sententiam aut non satis percepisse, aut non fideliter reddidisse. quod ut iudicari ab aliis possit, Græcos Euripidi subiiciam.

Οὐκ ἔστιν οὐδὲν δεινὸν, ὥσθ' εἰπεῖν ἔπος,
Οὐδὲ πάθος, οὐδὲ ξυμφορὰ θεήλατος,
Ης οὐκ ἂν ἄραιτ' ἄχθος ἀνθρώπου φύσις.

primum igitur uersum, si Ciceronem sequare, ita accipias, necesse est. οὐκ ἔστιν οὐδὲν ἔπος ὥδε δεινὸν εἰπεῖν. id est. nullum est uerbum ita terribile dictu. quod sane, ne quid dissimulem, mihi quidem non placet. ac fieri potest, ut fallar. sed dico id, quod uidetur. Deinde, πάθος quàm apte reddatur fors: alii uiderint. postremo in tertio uersu nulla est patientiæ ac tolerantiæ significatio. potiusq; hoc dicere Euripidem puto. Nihil, ut uno uerbo eloquar, dirum ac terribile est: neque morbus, neque à diis inuecta calamitas, cuius grauitati hominum natura ac conditio exposita nõ

sit. id quod statim confirmat inusitato, & antea inaudito supplicii genere, quo à diis affectus est Tantalus. Neque ignoro, quàm sit periculosæ, ut ait Flaccus, plenum opus aleæ, à Cicerone dissentire: uerumtamen. Mecum quidem græcus eius poetæ explicator, quisquis est, facit.

De quodam loco ex epistolis ad C. Trebatium accurate disputatum. Cap. XVII.

ANGELVS Politianus capite XXVII. miscellaneorum il lustrare conatus est hunc Ciceronis locum ex epistola ad
„ Trebatium. Hoc tibi tam ignoscemus nos amici, quàm
„ ignouerunt Medeæ, quæ Corinthum arcem altam habe-
„ bant, matronæ opulentæ optimates, quibus illa manibus
„ gypsatissimis persuasit, ne sibi uitio illæ uerterent, quòd
„ abesset à patria.
„ Nam multi suam rem bene gessere, & publicam patria procul:
„ Multi, qui domi ætatem agerent, propterea sunt improbati.

quod enim neminem ante se ne suspicatum quidem esse gloriatur, ait, hos duos esse uersus ex Ennii Medea ex his Euripideis expressos.

Κορινθίαι γυναῖκες, ἐξῆλθον δόμων,
μή μοι τι μέμψησθ'. οἶδα γὰρ πολλοὺς βροτῶν
σεμνοὺς γεγῶτας, τοὺς μὲν ὀμμάτων ἄπο,
τοὺς δ' ἐν θυραίοις, οἱ δ' ἀφ' ἡσύχου ποδὸς
δύσκλειαν ἐκτήσαντο καὶ ῥαθυμίαν.

Petrus quoque Victorius libro XX. uariarum lectionum idem sentire se, quod tradiderat Politianus, ostendit. neque unquam quenquam audiui, qui ea de re ullo modo dubitandum putaret. Ego autem, quanquam apud me plurimum & Politiani & Victorii ualet auctoritas, mirifice tamen ab utroque dissentio. quocirca hoc loco, quid de illis uersibus sentiam aperire constitui: ut ab eruditis hominibus, merito an immerito id faciam, iudicetur. In primis

primis igitur latinos uersus male ab eis distinctos, ad hunc autem modum distinguendos censeo.

. . . . . nam multi suam
Rem bene gessere, & publicam, patria procul.
Multi, domi qui ætatem egerunt, propterea
Sunt improbati.

nam quòd, egerunt, lego, ubi uulgo legitur, agerent: ueteres in eo libros auctores habeo. & ipse quoque Victorius ita legit. at hoc quidem leue est. illud grauius, quòd plane iudico necesse esse, ut aut ne sint ii uersus Euripidis à latino poeta conuersi: aut ut eos siue Ennius, siue quis alius fuit, qui ita interpretatus est, non intellexerit, & in sententiã alienissimam detorserit. Nam apud Euripidem quidem cum Medea præ dolore iam non compos animi, domi clausam se contineret, excruciaretq; se, & eos, quasi à furiis agitata, clamores ederet, qui etiam foris exaudirentur: Corinthiæ mulieres, è quibus constat chorus, orant nutricem, ut ad eam adeat, ipsamq; educat ex ædibus. sperabant enim se aspectu & alloquio suo illum doloris ardorem aliqua ex parte mitigaturas. Paulo post igitur domo egrediens Medea ita eas affatur.

Κορινθίαι γυναῖκες, ἐξῆλθον δόμων
μή μοι τι μέμψησθε.

id est. Corinthiæ mulieres, egressa sum ex ædibus, ne quid mihi succenseatis. quasi diceret. Non equidem libenter hoc tempore in aspectum hominum prodeo. omnes enim, quos grauior aliquis urget dolor, tenebras & solitudinem quærunt: lucem & frequentiam oderunt. uerumtamen cum uestro nomine rogata essem, ut huc prodirem, prodii: ne, si prodire nollem, uos id forte superbia quadam ac contemptu uestri à me fieri crederetis. At illo altero modo, ita accipienda erunt hæc uerba. ἐξῆλθον δόμων. id est patriam meam reliqui. μή μοι μέμψησθε. id est. nolite id mihi uitio uertere. quod mihi quidem alienum καὶ ἀπροσδιόνυσον uidetur. Sequitur. οἶδα γὰρ πολλοὺς βροτῶν σεμνοὺς γεγῶτας, τοὺς μὲν ὀμμάτων ἄπο, τοὺς δ' ἐν θυραίοις. quæ ita interpretor. noui enim multos mortalium, qui arrogantes habiti sunt, quòd

quòd se uidendos exhibere nollent. alios contra, quòd in atriis sedentes, uiderentur de se quasi spectaculum quoddam præbere, in eandem opinionem uenisse. Nam quòd ille Ciceronianus poeta σεμνοὺς accipit eos, qui rem suam & publicam bene gesserunt: ego eo nomine superbos & arrogantes accipio. & ita accepit Euripides in illo uersu ex Hippolyto: Μισεῖν τὸ σεμνὸν, καὶ τὸ μὴ πᾶσιν φίλον. & in illo ex eadem fabula: Οἴμοι. τὸ σεμνὸν ὥς μ' ἀποκτενεῖ τὸ σὸν. & in illis pulcherrimis uersibus ex Alcestide:

Οντας δὲ θνητοὺς, θνητὰ καὶ φρονεῖν χρεών.
ὡς τοῖς γε σεμνοῖς, καὶ σωφρυωμένοις
ἅπασίν ἐσιν, ὥστ' ἐμοὶ χρῆσθαι κριτῇ,
ὁ βίος ἀληθῶς ἐ βίος, ἀλλὰ συμφορά.

Sequitur. οἱ δ' ἀφ' ἡσύχου ποδὸς δύσκλειαν ἐκτήσαντο καὶ ῥᾳθυμίαν. id est. alii contra, quòd se quieti tradidissent, inglorii habiti sunt, & ignaui. Hoc enim significare uult, solere homines omnia quæ ab aliis fiunt, ad deteriorem partem accipere, & undique captare maledicendi occasionem. Illa autem quomodo interpretatus sit latinus ille, si modo interpretari uoluit, nihil attinet dicere. res ipsa loquitur. ex his, cæcutiam ipse, an merito alios παρεωρακέναι arbitrer, existimari potest.

Locus Platonis è Phædro, allata uetere quadam Athenienſium consuetudine illustratus. Cap. XVIII.

SOCRATEM Phædrus cum adducere uellet ad idem argumentum tractandum, quo ipse scriptam Lysiæ orationem paulo ante recitarat, ita ei blandiens apud Platonem inducitur. Καί σοι ἐγὼ, ὥσπερ οἱ ἐννέα ἄρχοντες, ὑπισχνοῦμαι χρυσῆν εἰκόνα ἰσομέτρητον εἰς Δελφοὺς ἀναθήσειν, οὐ μόνον ἐμαυτοῦ, ἀλλὰ καὶ σήν. quæsitum est autem ex me, quænam esset aurea illa statua, quam Delphis ponere solitos archontas ex eo intelligeretur: & qua de caussa id fieret. Respondi, nouem Athenienſium archontas, id est, eponymum, regem, polemarchum,

lemarchum, & sex thesmothetas, cum magistratum inirent, publice iurare solitos, se obseruaturos esse leges, neque passuros fidem suam donis muneribus ue corrumpi: si quis ipsorum secus fecisset, eum multæ nomine auream statuam suam pensurum esse. Eius rei auctor est Iulius Pollux libro onomastici ad Commodum Cæsarem octauo. Cypselidarum autem anathema, de quo non ita multo post ea, quæ posui, uerba apud Platonem mentio est, quodnam fuerit, copiose Pausanias in Eliacis docet.

Quod discrimen sit accusationis & maledictionis, è Demosthene, & Cicerone. Cap. XIX.

TRADITVM est accurate & diligenter à M. Tullio in Cœliana defensione, quid inter accusationem ac maledictionem interesset. olim autem Demosthenes etiam ista distinxerat: ut quamuis non plane idem ab utroque dicatur: dubium tamen non habeam, quin Cicero in ea re tractanda summi Græci oratoris uestigia sit persecutus. Vtrunque igitur locum meo more describam, ut comparentur. Demosthenes περὶ στεφάνου. Καί τοι καὶ τοῦτο ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι. ἐγὼ λοιδορίαν κατηγορίας τούτῳ διαφέρειν ἡγοῦμαι, τῷ τὴν μὲν κατηγορίαν ἀδικήματ' ἔχειν, ὧν ἐν τοῖς νόμοις εἰσὶν αἱ τιμωρίαι. τὴν δὲ λοιδορίαν βλασφημίας, ἃς κατὰ τὴν αὐτῶν φύσιν τοῖς ἐχθροῖς περὶ ἀλλήλων συμβαίνει λέγειν. Cicero pro Cœlio. Sed aliud est maledicere, aliud accusare. Accusatio crimen desiderat: rem ut definiat: nomine ut notet: argumento probet: teste confirmet. maledictio autem nihil habet propositi præter contumeliam: quæ, si petulantius iaciatur, (ita enim legendum est: nō, ut uulgo, iactatur.) conuicium: si facetius, urbanitas nominatur.

De ui ueritatis. Ciceronis ſententia ex Aeſchine. Liuii loci duo emendati. Cap. x x.

EMERGERE tandem & exiſtere ueritatem, neque ullis unquam machinis ita premi, ut opprimatur, multi grauesq; auctores ſæpe dixerunt: Cicero inter ceteros, qui cum hanc grauiſſimam & dignitatis pleniſſimam ſentẽtiam ponere in Cœliana defenſione uellet, ex Aeſchine eam prope
„ interpretatus eſt. O magna, inquit, uis ueritatis, quæ cõ
„ tra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, contraq;
„ fictas omnium inſidias facile ſe per ſe ipſa defendat. Aeſchines autem ἐν τῷ κατὰ Τιμάρχου. Οὕτως ἰσχυρόν ἐστιν, inquit, ἡ ἀλήθεια, ὥστε πάντων ἐπικρατεῖν τῶν ἀνθρωπίνων λογισμῶν. Etiam apud Liuium Q. Fabius Maximus idem dicit, in illo pulcherrimo ſermone, quem habuit cum L. Paullo aduerſus Annibalem proficiſcente. ſed is locus ita deprauatus circum-
„ fertur, ut intelligi non queat. ita enim legitur. A ueritate laborare nimis ius ſæpe aiunt: extingui nunquam. Sed
„ uocem, ius, in ueteribus, libris non legi, admonuerunt etiam alii. Mihi, cum eum locum accurate legerem, inci
„ dit ſuſpectio, ita corrigendum eſſe. Veritatem laborare
„ nimis ſæpe, aiunt: extingui nunquam. id igitur in libri mei margine aſcripſeram, addita ea nota, qua coniecturas meas diſtinguere ſoleo ab iis mutationibus, quas uetuſtis libris auctoribus facio. Sed cum poſtea διὰ χρόνου accidiſſet mihi, ut eum ipſum locum inſpicerem: uiſum eſt, librum quoque ueterem, quem habeo, conſulere: ſi quid is fortemeam coniecturam adiuuaret. Repperi autem plus etiam, quàm uolueram. etenim ne una quidem littera plus minus ue habebat, quàm ut ego diuinaram. ſed ea inſpectio iter mihi aperuit ad tollendum ex eo loco mendum al
„ terum. nam quod ſtatim ſubiicit Fabius: Gloriam qui ſpre
„ uerit, ueram habebit: uix uerum uidetur, ita ſimpliciter, & ſine ulla adiectione prolatum. quid enim? ἀφιλότιμον εἶναι, laudi

laudi ne datur, an in uitio ponitur? quàm multi gloriam ſpernunt ignaui & nulli precii homines? Cum igitur in
„ meo libro legatur, Gloriam quam qui ſpreuerit, ueram
„ habebit: coniicio legendum, Gloriam uanam qui ſpreue
„ rit, ueram habebit. ſic enim & uerior erit ſententia, & illa contrariorum relatione ornatior, & melius cohærebit cum eo, quod paulo ſupra dixerat Fabius. Reſiſtes
„ autem, aduerſus famam rumoresq; hominum ſi ſatis firmus ſteteris: ſi te neque collegæ uana gloria, neque tua falſa infamia mouerit. quàm facile uero librarius in eo labi potuerit, cum quiuis facile uideat, λεπτολογεῖν non eſt meum.

Mulieres eruditas plærunque libidinoſas eſſe, duorum poetarum teſtimoniis confirmatum. Iuuenalis locus cum quodam Platonis collatus. Cap. x x i.

VAFERRIMVS poeta, quiq; omnia ſuæ tempeſtatis hominum uitia & nouerat optime, & inſectabatur liberrime, Iuuenalis, in ea ſatyra, qua mulierum improbitatem detexit, non obſcure ſignificauit, diſplicere ſibi mulieres eruditas, & diſertas.

Non habeat, inquit, matrona, tibi quæ iũcta recumbit
Dicendi genus, aut curtum ſermone rotato
Torqueat enthymema, nec hiſtorias ſciat omnes.

Euripides quoque, magnus & ipſe mulierum oſor, etſi dictus eſt à quodam eas odiſſe in choro, amare in thoro, eiuſdem ſententiæ fuit. putauit enim, id quod res eſt, catas & ingenioſas feminas promptiores & acutiores eſſe ad ſtruendas machinas, quibus decipiant uiros. itaque apud eum ita Hippolytus loquitur.

Σοφὴν δὲ μισῶ. μὴ γὰρ ἔν γ' ἐμοῖς δόμοις
Εἴη φρονοῦσα πλεῖον, ἢ γυναῖκα χρῆν.

Τὸ γὰρ πανοῦργον μᾶλλον ἐντίκτει Κύπρις.
Εν ταῖς σοφαῖσιν. id est.
Odi eruditam. ne meæ unquam sit domi,
Quæ plus sciat, quàm mulierem scire expedit.
Nanque eruditis ipsa maiorem Cypris
Astutiam indit.

& sane non nimis pudicas esse ingeniosas & eruditas mulieres, fidem facere poterit Sappho. neque mirum. multas enim historias legunt, peccare, ut ait Flaccus, docentes. sed in iis, quæ supra retuli Iuuenalis uerbis, constat, metaphoram esse à iaculis sumptam, quæ breuia cũ sint, rotando torqueri solent. eadem autem usus est Plato: cum Lacedæmoniorum loquendi consuetudinem exponeret: quos ait, initio uideri solitos rudes & imperitos: sed postea torquere ac uibrare breue aliquod dictũ: ut is, qui cum disserebant, puer præ ipsis uideretur. eius uerba sunt. εἰ γὰρ ἐθέλοι τις Λακεδαιμονίων τῷ φαυλοτάτῳ συγγενέσθαι, τὰ μὲν πολλὰ ἐν τοῖς λόγοις εὑρήσει αὐτὸν φαῦλόντινα φαινόμενον. ἔπειτα ὅπου ἂν τυχοι τῶν λεγομένων, ἐνέβαλε ῥῆμα ἄξιον λόγου βραχὺ καὶ κατεσταλμένον, ὥσπερ δεινὸς ἀκοντιστὴς, ὥστε φαίνεσθαι τὸν προσδιαλεγόμενον παιδὸς μηδὲν βελτίω.

Iphicratis multa dicta, quibus elatus & excelsus ipsius animus ostenditur. Cap. XXII.

RERVM bellicarum gloria non ætatis modo suæ imperatores uicisse, sed superiorum etiam quemlibet adæquasse Athenensis Iphicrates dicitur. idemq; eloquentiæ studiis deditus fuisse, & cum sæpe dixisse in publico, tum ostentationis quoque gratia domi non nunquam declamitasse perhibetur. erat autem excelso uir & elato animo, quiq; de se interdum magnificentius, quàm uulgi aures libenter ferre possent prædicaret. Itaque cum orationem de statua sibi ab Athenensibus posita aduersus Harmodium

modium quendam è ueteris illius tyrannicidæ posteris haberet, multa dixit de seipso animose, & prope arroganter: ut Dionysius Halicarnasseus non alio magis argumẽto refellerit eos, qui orationem illam Iphicrati à Lysia scriptam esse dicebant, quàm quòd à Lysiæ moderatione nimium longe abesset. In ea hoc dixit, quòd aduersarius generis sui nobilitatem extollens, illius obscuritatem, & ignobilitatem exagitauerat, ut quisque uirtute maxime præstaret, ita nobilissimum esse. nam ne Harmodium quidem & Aristogitonem nobiles fuisse prius, quàm præclarum aliquid designassent. Item illud: se maiorem habere cognationem cum illis, quàm ipsum illum quo cũ contenderet: quo sua, quàm illius, facta propius ad eorum gloriam accederent. &, Meorum nobilitas à me incipiet: tuorum in te desinet. quæ omnia imitatus est, quicunque scripsit declamationem in Salustium. sed & ex eadem oratione hæc repperi. Si qualis ego sum, tales uobis septem imperatores fuissent, deserta iam esset & inculta Lacedæmon. Et cum de Harmodio & Aristogitone ageret: Quorum, inquit, ego si temporibus fuissem, aut assumpsissem eos ad societatem præclari illius operis, aut ipse ab eis ascitus essem. Et, Vos fortasse Athenienses istam mihi columnam, & istas in ea inscriptas litteras, præclarum quiddam, & gloriatione dignum à uobis contigisse arbitramini. at mihi columna cælum attingens in Peloponneso uirtutis meæ testis constituta est. Hæc postrema quibus uerbis Græce pronunciata sint, si quis uidere cupit, reperiet apud Aelium Aristidem ἐν τῷ περὶ τοῦ παραδείγματος.

Medicum fuisse Herculem, & sanatam ab eo Alcestin, quum iam deposita esset. Cap. XXIII.

SCRIBIT Plutarchus, fortissimum heroum Herculem medicinæ peritum fuisse. itaque quod apud Euripidem legitur de Alcestide, quam, cum mortem pro uiro suo Admero

meto obiisset, Hercules cum ipsa Morte luctatus, per uim ei eripuisse, & uiuam ad Admetum reduxisse narratur: ita intelligendum esse: cum Alcestis ita grauiter ægrotaret, ut deposita iam & desperata esset, uenisse Herculem, & medendi arte, qua excellebat, ei ualetudinem pristinam reddidisse. Admeto autem ea in re gratificari uoluit. non enim minus amabat Admetum Hercules, quàm Alcestin Admetus.

De immani crudelitate regis Deiotari. Cap. XXIIII.

ATROCI admodum & barbaro ingenio fuisse oportet regem Deiotarum: si uerum est, quòd de eo idem, quem modo nominaui, Plutarchus memoriæ prodidit. & sane is est auctor Plutarchus, quem nemo spernere, ut parum idoneum possit. Ait autem, Deiotaro plures fuisse filios: quorum cum ipse uni relinquere imperium, atque omne patrimonium suum cuperet: quo id facilius efficeret, ceteros omnis manibus suis trucidauit: uinitorum exemplo, qui cum uitis aliqua complures emiserit surculos, unum modo ex eis relinquere, alios amputare consueuerunt: ut is qui relinquitur, maior & robustior fiat.

De lege quadam Persarum humanitatis plena. Cap. XXV.

MVLTAE olim apud Persas leges fuisse traduntur: ex quibus facile intelligi potest, singularem quandam eius gentis sapientiam fuisse. Atque earum in unam nuper cum inciderim, quæ neque multis, nisi me fallit animus, cognita est, & dignissima, quæ cognoscatur ab omnibus: iudicaui non ingratum fore iis qui hæc legent, si eam hoc loco proponerem. Erat igitur apud eos ita cõstitutum, ut cum quis in iudicio argueretur aliquid feciſſe contra leges, etiam si liquido constaret, eum culpæ affinem esse,

se, non tamen statim comdemnaretur: sed prius inquireretur diligentissime in omnem illius uitam, inireturq; ratio, plura ne turpiter & flagitiose, an bene laudabiliterq; gessisset. tum si uincebat turpium numerus, condemnabatur: sin præponderabantur honestis turpia, absoluebatur. Cogitabant enim, humanarum uirium non esse, rectum cursum perpetuo tenere: habendos pro bonis uiris eos, non qui nunquam peccarent: sed qui sæpius honeste agerent. Hanc ipsam legem ego ab iis quoque, quorum in manus hi libri uenient, obseruari summopere cupio: ut ne statim eos reiiciant ac condemnent, si quid in eis à me peccatum deprehenderint. nam si, ratione fideliter inita, maior τῶν ἐσφαλμένων ς, ἢ τῶν κατορθωμένων, numerus fuerit: tum, equidem, quin reiiciantur, & sordeant, non recuso.

FINIS.

Erratorum correctio.

		Delenda.	Reponenda.
pag. 1.	uer. 12	paræneſis	parænesis
7.	9	reiiceret, aſpernaretur:	reiiceret, & aſpernaretur:
11:	19	falſus	faſſus
24.	15	diis	dies
25	8	iu	in
38.	4	ego quodammodo	ego ita quodammodo

in eadem pagina, uerſus ille, quem negaui à me emendari poſſe, qui quidem ita legitur,

* Cui nihil iucundius quiſquam uiuit.

uide, num ita corrigi poſsit:

Vino nihil iucundius quicquam cluet.

40:	10	Sophoclis	Euripidis
53:	29	ſlatonis	Platonis
61:	17	Centimanum	Centimanumq;
66.	20	mis	mi
84:	31	redimi	redimiri
87:	4	III.	IIII.
92.	1	ſctiptum	ſcriptum
ead.	10	ἐμαντῷ	ἐμαυτῷ

Non dubitamus, quin inſint etiam alia non nulla. quod caueri nullo modo poteſt, in ijs preſertim libris, qui tunc primum eduntur. ſed cũ ea, ut ſperamus, & pauca, & leuia ſint: æquum lectorem, ea ut nos condonet, oramus.

NICOLAVS NATHANAELVS CRETENSIS LECTORIBVS S. D.

CVM liber hic absolutus iam esset, egerunt cum Mureto quidam honestissimi homines, & cum eo magna familiaritate coniuncti, ut quicquid in toto opere Græce scriptum esset, Latine interpretaretur, & hic in extremo subiiceret: fore enim alioqui, ut multos legendi cupidos, Græci sermonis ignoratio retardaret. id ipse, cum sit alioqui studiosissimus gratificandi suis, neque laborem subterfugere ullum soleat, quo eorum uoluntati obsequatur, non tamen negauit modo, sed etiam pernegauit. Deiecti hac spe, postularunt, ut id saltem ab alio quopiam fieri permitteret. ille diu reluctatus, tandem tamen uinci se passus est. Ego igitur, ipsius quidem permissu, aliorum autem rogatu, suscepi hunc laborem: qui, uereor equidem, ne incurrat in multorum reprehensionem. nam cum illud ipsum perdifficile est, quæ una lingua dicta sint, in aliam conuertere, quæcunque tandem illæ sint: tum lingua nostra (quod bona Latinorum uenia dictum sit) permulta habet, quæ latinus sermo assequi plane non potest. Adde, quòd nobis, quicunque in Græcia nati sumus, non credibile est, quàm sit difficile, quæ Græce dicta sunt, latine exprimere. nam & Græca nescio quo modo magis percipimus, & in latinis minus sumus exercitati. Quare peto ab iis, qui hæc legent, ne mecum sum-

mo iure agendum putent. non enim laudem quæsiui: sed ut pars aliqua eius difficultatis, quæ homines discendi cupidos à fructuosissima pulcherrimorum librorum lectione absterrere poterat, per me tolleretur, elaboraui. Valete. Venetijs. a. d. IX Kal. Quinct. M D L IX.

CONVER-

CONVERSIO GRAECORVM, QVAE IN HIS LIBRIS LEGVNTVR, NEQVE AB AVCTORE IPSO CONVERSA SVNT.

pagina 1. Ισοκράτης μὲν &c.
Isocrates quidem, tuus sodalis & meus o Echecrates in paræneſi ad Hipponici filium, oportere ait bonis hominibus ineſſe, ſi quicquam aliud, etiam affabilitatem, quæ quidem in eo ſita eſt, quemadmodum ipſe ait, ut libenter alloquamur eos, qui nobis obuii fiunt.

1:

Τῷ μὲν τρόπῳ &c. moribus quidem affabilis eſto, oratione autem comis. eſt autem affabilitatis quidem, alloqui obuios: comitatis autem, domeſticos cum eis, & familiares conferre ſermones.
ἐπακτὸς ὅρκος. delatum iuſiurandum.
Οἱ μὲν κατάπυγοι &c. execrandi quidem Theſſali & ſenſus experres Thebani amicum, beneficum, ſalutis datorem Philippum arbitrabantur. omnia ille ipſis erat.
συμποσιακῶν. Epularium ſermonum.

2:

Τὰ πρόβατα. pecudes.

3.

Νοσοῦσα δ' εὖπως. &c.
Aegrotans autem, bene quodammodo morbum uincito. Sunt autem & incentiones, & ſermones ad mulcendum apti.
Apparebit aliquod huius pharmacum morbi.
Κατ' ἀλληγορίαν τινα. per allegorian quandam.

3:

ἐγγενομένου δ' ἡμῖν &c. cum autem illud à natura nobis inſitum ſit, ut alii alios in ſententiam noſtram adducamus, & inter nos animi ſenſa communicemus, non tantum à ferina uiuendi ratione abducti ſumus: uerum etiam congregati oppida conſtruximus, & leges poſuimus.

4:

Καὶ μὴν ὲ περίῤῥυτος γὲ &c. Ac uero cum aquis circundata non sit, nihilominus, insulæ in morem, omnibus uentis & importat ea, quorum indiget, & exportat ea quæ uult. bimaris enim est.

5.

Ὑγιὴς νοσοῦντα & cet. Valens ægrotantem facillime quilibet corripit.

5:

Τὸ τῆς λέξεως καινόντε καὶ ξενικὸν. Dictionis nouitatem & peregrinitatem.

Ζεφύρου πνοαῖς &c. Zephyri spiritibus equitantis in cælo.

Θαλασσόπλαγκτα &c. Aequoriuagos autem nullus alius, nisi ego,
Lineis alis præditos inuenit nautarum currus.

6.

Ὦ δεινὸν ἔργον &c.
O quæ atrox facinus contra leges perpetrasti,
Medea, fuge, fuge: neque nauticum
Relinquens currum, neque curriculum, quod per terram trahitur.

Ανδρόπαιδος, pueri quidem adhuc, sed qui iam uirile quiddam haberet.

7.

Οὐκ ἔφυ Σόλων &c.
Non fuit Solo prudens, neque consilio præditus uir.
Bona enim cum deus dedisset, ipse non accepit.
Cumq; circundedisset prædam, hilaris non attraxit magnum
Rete, tum animo aberrans, tum consiliis falsus.
Voluisset enim, potentiam consecutus, magnis opibus acceptis,
Et potitus Athenarum imperio solum diem unum,
Vtris in morem postridie excoriari, ac totum genus suum conteri.

πολιτικῶν. de rep.

Κατεσκεύαζε δὲ &c. Instruxit autem ciuitatem multitudine ne quidem, decem hominum millia habentem: distributam autem tres in partes, unam artificum, alteram agricolarum, tertiam bellatorum, & arma habentium.

7:

Φαμὶ δ' ἐγὼ &c. Aio autem ego tres in partes distribui omnem remp. atque unam quidem esse partem bonorum, gubernantium publica. secundam autem eorum qui uiribus. tertiam eorum, qui expletione, ac comparatione rerum necessariarum. Appello autem primam quidem multitudinem, consultatricem: secundam, auxiliatricem: tertiã, sordidam, & quæstuariam.

Τῶ δὲ βαναύσω &c. Sordidæ autem, & eius quæ uictum sibi labore quærit, una quidem est agricolarum, & eorum qui ruri in opere faciundo sunt occupati. altera autem, quæ artes exercet, instrumentaq;, & machinas negociis uitæ suppeditat. tertia, quæ è loco in locum commeat, mercaturamq; exercet. atque ea quidem quibus ciuitas abundat, ad exteros conuehit, alia uero importat ab exteris in ciuitatem.

ἐν τῷ περὶ πολιτείας. in sermone de rep.

8.

Ἔσωσά σ' ὡς ἴσασιν &c.
Seruaui te, ut sciunt Græcorum quicunque
Idem una ingressi sunt Argoum nauigium.

Τυφλὸς τάτ' ὦτα &c.
Cæcus es & auribus, & mente, & oculis.

περὶ ἑρμηνείας de interpretatione.

8:

Quæcunque Græce scripta sunt & in hac, & in ea quæ proxime sequitur, pagina, nihil prorsus adiuuare possunt eos qui Græcas litteras non callent. iis autem qui earum periti sunt, interpretatione nihil opus est. itaque frustra conuerterentur.

9:

Τὰς δὲ ἑλληνικὰς &c. Græcas autem omnes prioribus sæculis tales fuisse aiunt, à comœdiis id accipientes. quòd percutiunt fores suas, & strepitum excitant interius ii, qui exire

exire uolunt. ut ſentiant ii qui foris ſunt, & aut prætereunt, aut ſtant pro foribus: ne deprehendantur, ualuis in angiportum impulſis.

ἰθματα μὲν &c.

Tellurem pedibus, capite attingebat Olympum.

Ητ' ὀλίγη μέν πρῶτα &c.

Primum parua quidem aſſurgit: ſed deinde leuata
Ingrediturq; ſolo, & caput inter ſidera condit.

Καὶ τῶν ἄλλων ἰδεῶν &c. & aliarum idearum, quæ in dictionibus oratoriis ſplendent, atque audientes admirationem ſuam ſignificare, & tumultuari cogunt.

10.

εἰλικρινεῖς, ſinceras.

συρίζειν, ſibilare.

Τὸ δὲ κῦρος τέτων &c. Horum uerborum hæc eſt Marſilii interpretatio. Auctoritas autem cognoſcendi hæc, iudicandiq;, & damnandi ſi quis contra feciſſet, nec ſibilo, nec ineptis clamoribus multitudinis, ut modo, tribuebatur: nec rurſus laudandi licentia plaudenti ſtrepentiq; turbæ: ſed præſtantibus doctrina uiris erat conceſſa: dabaturq; ipſis ad finem uſque magno cum ſilentio audire. Adoleſcentes autem, pædagogi, & plebs uniuerſa, caſtigatione uirgæ admonebantur.

10:

Η μᾶλλον &c.

Aut potius, infelix natio, aquaticis ſerpentibus lucrū,
Illinc ex aquis patres clamant ranunculorum.

E LIBRO SECVNDO. CAP. I.

ἐ γαρ, ὥσπερ &c. Non enim ut quidam eorum qui de arte ſcripſerunt, poſuerunt in arte & bonitatem dicentis.

ὡς ἀδὲν συμβαλλομένου &c. ut quod nihil conferat ad perſuadendum.

ἀλλὰ χρεδὸν &c. immo uero fere præcipuum momentum habent mores ad faciendam fidem.

ἐ γαρ, ὥσπερ &c. non enim ita eſt, ut quidam eorum qui de arte ſcripſerunt, in arte poſuerunt: probitatem dicentis nihil conferre ad perſuadendum. quin fere dixerim præcipuum faciendæ fidei momentum ſitum eſſe in moribus.

χρεδὸν fere.

αἱ ἀποδείξεις demonſtrationes.

Τῶν δὲ διὰ τοῦ &c. Hæc paulo poſt Muretus ipſe conuertit.

CAP. II.

ὀφιογενεῖς ſerpentigenæ.

CAP. III.

καὶ γαρ &c. Nam & qui natura quidem ciues ſunt, hac autem ſententia utuntur, patriam ſibi eſſe, ubicunque habuerint ea, quæ ſibi neceſſaria ſunt, de iis dubitari non poteſt, quin ſpreto ciuitatis communi bono, ſuum propriū lucrum ſecuturi ſint: propterea quòd non ciuitatem, ſed opes ſibi eſſe patriam putant.

CAP. V.

ἐλλειπλικῶς defectiue.

ἀκαταφρόνητον πρᾶγμα, καὶ ὐ πολλῆς ἄξιον, contemnendum negocium, & non magni precii.

Ξένος, ἀκαταφρόνητον πρᾶγμα. Hoſpes, negocium eſt quod facile contemnitur.

σοφόν τι χρῆμ' ὤνθρωπος. ſapiens quædam res eſt homo.

φίλιςος δὲ &c. Philiſtus autem imitator eſt Thucydidis: præterquam quòd mores non imitatur. nam illius quidem, liberi ſunt, & ſpirituum pleni: huius uero accommodati ad demulcendam tyrannorum & aliorum cupiditatem. imitatus eſt autem primum quidem illud, ut imperfectum argumentum relinqueret, quomodo & ille fecerat: deinde & illam in diſponendo ordinis negligentiam. quin & eorum quæ dixit confuſione opus ſuum difficile ad intelligendum reddidit. in dictione autem uarietatem illam linguarum, & illum exquiſitum Thucydidis ornatum imitatus non eſt: ſed illam rotunditatem, denſitatem, illum præclarum ſonum, illud dicendi genus aptum ad altercationes ualde diligenter expreſsit. non tamen peræque dictionis pulchritudinem, & grauitatem, & copiam enthymematum, & moleſtias, & concitatos affectus, & figuras. exilis

lis autem est, & abiectus propemodum descriptionibus aut locorum, aut pugnarum naualium, aut prœliorum terrestrium, aut extructionis ciuitatum. neque oratio rerum magnitudini exæquatur. prudens tamen, & quod ad dictionem attinet, ad uera certamina Thucydide utilior.

CAP. VII.

Ὁρᾶτε γὰρ &c. Videtis enim, Athenienses, apud uos quidem de hoc Demosthene iudicium exerceri, apud alios autem de uobis. qui quidem quasi è speculis obseruant, quæ tandem, de iis quæ ad patriæ utilitatem pertinent, uestra sit futura sententia. et utrum ne priuatas horum corruptelas & improbitates in uos ipsos susceпturi sitis, an omnibus manifesto declaraturi, odio uobis esse eos, qui aduersus remp. dona capiunt.

CAP. IX.

περὶ ἀρχῶν de principiis.

ἁλιευτικῶν piscatoriorum.

Ἰχθύσι δ' οὔτε &c. Piscibus autem neque iustitia est æquabilis, neque ullus pudor:

Non amicitia. omnes enim inimici inter se
Infensi natant. fortior autem semper
Vorat infirmiores. alii autem annatat alius
Mortem agens. alter autem alteri præbet cibum.

Ὡς δ' ὑπὸ &c. Vt autem à delphine uasto pisces alii
Fugientes, implent recessus portus appulsu facilis,
Timentes: ualde enim comest, quēcunque corripuerit:
Sic Troes fluminis ad rapidi fluctus
Metu fugiebant sub rupes.

CAP. XII.

Ἥδυσης &c. suauem quandam olens peregrinitatem.

Ὦ πάτερ &c. O pater noster Saturnie supreme imperantū.
Si quidem nunc hoc amicum est beatis diis,
Vt prudens Vlysses redeat domum suam.

περὶ πράκτου, de eo quod agendum est.

ἐὰν μὲν τῷ θεῷ &c. si quidem deo amicum sit, ualde multum proficies, & cito.

τὰ μὲν δὴ &c. Igitur ea quidem, quæ de ueteribus sunt, omittantur, & ualeant, & ut diis amicum est, ita dicantur.

ὡς μάθῃ τί χρὴ &c. ut discat, quid oportet
Facientem, aut dicentem diis agere amica.

Πουλυδάμα &c. Pulydama tu quidem non amplius mihi amica hæc loqueris.

ἔῤῥοι φίλον, si tibi amicum.

Τῷ θεῷ γὰρ ἦν φίλον. deo enim erat amicum.

CAP. XIII.

Ἀλλὰ μὴν &c. At uero &, tanquam duodecim scriptis ludens, uolo tibi licere in sermonibus reducere quicquid uis dictorum, ut ne te decipi putes.

Ἀλλὰ ἔτι καὶ νῦν &c. At nunc etiam reducas licet.

πολιτειῶν, de rep.

Ἀλλὰ μεταθώμεθα &c. Sed reponamus. periculum enim est, ne minus recte amicum & inimicum posuerimus.

Quæ capite XV. Græce scripta sunt, cum de uerbo tantum quodam agatur, nihil plane uidentur ad eos qui Græce nesciunt, pertinere.

CAP. XVI.

ἕλκεσι βρύοντας, hulceribus scatentes.

ἀποβλητέα δῶρα reiicienda dona.

ἑλωρίοις. ita uocantur ea, quæ ad discerpendum & dilaceranda exposita sunt.

CAP. XVIII.

Εἰ μὲν ἦν &c. Nam si de quibus hoc iudicium constitutum est, ea solum accusasset Aeschines, ego quoque de ipso decreto statim respondissem. nunc cum haud minorem partem orationis in aliis rebus percensendis consumpserit, plurimaq; in me ipsum mentitus sit, necessarium esse puto, & simul iustum, Athenienses, ut primum ad ea breuibus respondeam.

CAP. XIX.

ὁ γὰρ τὸ σπέρμα &c. nam qui semen præbuit, is eorum malorum, quæ enata sunt, caussa est.

Quæ capite uigesimo leguntur, eos plane adiuuare non possunt, qui Græce nesciunt.

δαιμόνιος ἐκεῖνος, diuinus ille.

τῶν ὑφ' αὑτὸν ἡγεμόνων, eorum imperatorum quos sub se habebat.

Μνήμην δ' οὔτινα &c. Memoria autem neminem aio Simonidi æqualem esse,

Octogenario, filio Leoprepis.

CAP. II.

ὄργανον, instrumentum.

εἶδος, speciem.

Πρῶτον μὲν εἶδος &c. Primũ quidem speciem dignam imperio

ἄξιον, dignam. ἀξίους, dignos.

ἐν τ�ῶ ὑπὲρ κάλλους λόγῳ, in oratione pro pulchritudine.

Ἰδοιμι δ' αὐτῶν &c. Videam autem ex ipsis genitos mares maribus;

Primũ quidem, quod ad speciẽ attinet, imperio dignos. Magna enim præstantia est, cum hoc adest in uita,

Vt corpus dignitatem pulchrorum habeat.

φύσει βασιλικόντι τὸ κάλλος εἶναι. natura regale quiddam esse pulchritudinem.

CAP. III.

περὶ ἑρμηνείας, de interpretatione.

φεῦ. ὦ μῆτερ &c. Heu. o mater, quæquidem è regiis ædibus.

Εα. πολύμηστορ ὦ δύσαν &c. Hem. Polymestor o infelix, quis te perdidit?

φεῦ. πῶς ἄν σ' &c. Quomodo te uerbis seruata moderatione laudauerim?

Εἶεν. καὶ δὴ &c. Sit ita sane. Et uero mortui sunt. quæ me excipiet ciuitas?

φεῦ, ἔα, εἶεν. Heu, hem, sit ita sane.

CAP. IIII.

βίην Ἡρακληείην &c. Virtutem Herculeam, & uirtutem Iphicleã.

Ἐγὼ τὸ μὲν &c. Ego tuum quidem corpus, quod mihi faustum ac fortunatum fuit,

Seruare paratus sum.

Ἀλλ' εἰσορῶ &c. Sed, uideo enim hic domini corpus

Agamemnonis.

σὸν δέμας διαφθείρομενος, tuum corpus uenans.

CAP. VI.

μνημονικὸν ἁμάρτημα, memoriæ lapsum.

CAP. VII.

Κ' ἔπειτεν &c. Ac deinde in saccum sic ingredimini.

Videte autem, ut grunniatis,

Et emittatis uocem porcarum mysticarum.

Τί δαὶ φέρεις; &c. Quid autem fers? Porcas ego quidem mysticas.

CAP. X.

Οὐ ποιήσομαι &c. Hæc Muretus ipse conuertit.

CAP. XI.

Καλλίνικον φέρεσθαι, callinicum ferre.

Δεινὴ γὰρ &c. Callida enim est. neque facile qui quidem susceperit

Inimicitias cum ipsa, callinicum feret.

ᾄσεται, canet. οἴσεται, feret.

Τὸν καλλίνικον &c. Callinicum cum diis egit.

Ετι &c. Adhuc Herculis

Callinicum canam.

ἀλλ' ἐπάειδε &c. Sed incine callinicum carmen meo choro.

CAP. XII.

Ne ea quidem, quæ in hoc capite leguntur, quicquam attineat ad Græci sermonis ignaros.

CAP. XIII.

προετικὸν, largum, & prope prodigum.

CAP. XIIII.

ἔθηκε γὰρ &c. constituit enim, ut & ingrediens uerecundaretur, & exiens. eis autem ita congredientibus, necesse quidem est & alterum alterius desiderio magis teneri, & robustius gigni, si quid germinent, ita magis, quam si alter altero satur esset.

CAP. XV.

Πολλοστημόριον, multesima pars, ut Lucretius loquitur.

καθ' ὅσον ἴοντε, quantum id fieri potest.

Quæ ex Xenophonte adducuntur, ea Muretus ipse ad fi-

CAP. XI.

Διὰ γαρ̀ &c. Nam propterea, cum eadem sit methodus concionalis generis: cumq; pulchrior & ciuilior sit deliberationum quàm conuentionum tractatio: de illa quidem nihil dicunt, de iudiciis autem omnes præcepta tradere conantur.

λοιποὶ δέ εἰσιν &c. Reliqui autem sunt nobis ii, qui ante nos fuerunt: quiq; scripserunt eas, quæ artes uocantur: quorum non est prætermittenda reprehensio. illi enim se profitebantur tradituros artem tractandi iudiciales causas, delecto eo nomine, quod omnium molestissimum est. quod dicere oportebat eos, qui inuiderent, non eos qui tali doctrinæ præessent. idq; cum res ipsa, quatenus doceri potest, nihilo magis prodesse possit ad orationes iudiciales, quàm ad alias quaslibet.

CAP. XII.

ἐμπιπλᾶσθαι, impleri. cetera declarantur.

CAP. XIII.

ἐπιχαιρεκακία, gaudium quod è malis percipitur.

ἀμηχανοῦντος καὶ ἀποροῦντος, æstuantis, & ambigentis.

ἀναμφισβητήτως, sine ulla dubitatione.

CAP. XIIII.

Ελε. ἀπωλόμεθα &c.

Hel. Periimus. Thestias autem puella superstes ne est?
Teu. Ledam dixisti? illa uero iam excesit è uiuis.
Hele. Nunquid ipsam turpis Helenes fama perdidit?
Teu. Aiunt. ita quidem, ut generoso collo laqueum aptauerit.

Λήδα δ' &c. Leda autem laqueo
Mortua est infa-
miæ meæ præ doloribus.

ἐπαιάζων, allamentans. Μάτηρ μὲν οἴχεται. Mater quidem abiit.

εἰ δέ τις αὐτοὺς &c. quòd si quis putat, eos aut sine uoluptate cibum capere, cum solum nasturtium pro obsonio habeant: aut iniucunde bibere, cum aquam bibant: recordetur, quàm suaue sit esurienti maza quidem & panis ad edendum: & quantopere sitiens aquæ potu oblectetur.

αἰσχρὸν μὲν γαρ̀ &c. Turpe enim etiam nunc Persis habetur, & spuere, & emungi, & corpore sufflato uideri.

CAP. XV.

Οἵην &c. Qualem aurei patres sobolem reliquerunt
Deteriorem. uos autem deteriora gignetis.

Παῦροι &c. Pauci enim filii similes patris euadunt.
Plærique deteriores, pauci autem patre præstantiores.

CAP. XVI.

Στείχω δ' &c. Eo autem ad ipsam, ut libem hasta.
Sacer enim ille est diis manibus,
Cuius è capite hæc hasta capillum libauerit.

ὁ Θάνατος. Mors.

CAP. XVIII.

πολιτειῶν de rep. τὰ πρωτεῖα, prima præmia.

ὁ τοῦ τέλους λόγος, finis ratio.

συμφωνεῖν, concinere.

Quæ capite XIX. leguntur, cum ad rationem utendi uerbo quodam Græco pertineant, neque fructum, neque delectationem afferre ullam iis, quibus hæc laboramus, queunt.

CAP. XX.

Βοὴν δ' &c. Clamorem autem edebat hunc, ad genam meam
Admuoens manus.
Filio meo supplico.
Genisq; è meis
Pendebat. ita ut manus meas liquerit telum.

Τέκνον &c. Filia mea, quod tibi uerbum fugit è uallo dentiũ?

E LIBRO QVINTO CAP. I.

ἀειδέσιν, inuisibilibus.

CAP. II.

ἀμούσους, alienos à Musis.

CAP. VI.

σμικρὸν ἐπὶ σμικρὸν καταθέμενος, paruum paruo apponens.

ἀμηχανίας, hæsitantiæ.

CAP.

CAP. VII.

Ἐγὼ γὰρ &c. Ego enim ipsa alium mea manu
Qui quidem mortalium ei carissimus est,
Sagittis ineuitabilibus hisce ulciscar.

Ἀδωνις &c. Adonis cum adhuc puer esset, Dianæ ira percussus inter uenandum à sue, interiit.

CAP. X.

περὶ καλοῦ καὶ ἡδονῆς, de pulchro, & uoluptate.

Ἡ πίννη &c. Pinna & pinnoteres operis socia inter se sunt: cum seorsim degere non possint. Ac pinna quidem ostreum est: pinnoteres autem paruus cancer. Pinna igitur cũ concham diduxerit, quieta manet, obseruans ingredientes pisciculos. pinnoteres autem astans, ubi quid ingressum est, mordet ipsam, tanquam significans. ipsa uero morsa comprimit conchas. sic quod captum est, intus una comedunt. aiunt autem non nulli animalia hæc etiam una generari, quasiq; ex uno nasci semine.

CAP. XI.

φιλοσοφεῖν, philosophari.

CAP. XIII.

Κεῖνος &c. ille felicissimus,
Cui in diem nihil inest mali.

CAP. XIIII.

ἀπομνημονευμάτων, commentariorum.

Γλαύκωνα δὲ &c. Hæc Muretus ipse conuertit.

CAP. XV.

δοκεῖ δέ μοι &c. Videtur autem mihi, o Cyre, difficilius esse, reperire uirum, qui bona pulchre ferat, quàm qui mala. Illa enim luxuriam & impotentiam multis, hæc uero moderationem omnibus afferunt.

εἰ δὲ δὴ &c. Quod si quenquã mortalem uirum Olympi præsides honore affecerunt, is Tantalus fuit. atenim concoquere magnam felicitatem non potuit.

CAP. XVI.

Μέθῃ δὲ &c. Ebrietate autem madidus matris meæ maritus,
Clarus ille, ut aiunt, insultat tumulo,
Saxisq; petit monimentum lapideum patris.

CAP.

CAP. XVII.

ἑλληνίζει, Græcissat.

Μηδ' ἔθελ' &c.
Neque uelis contentionem suscipere cum eo, qui te melior est.

CAP. XIX.

ἐπὶ ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας. septem ad Thebas.

Ετ. Πύργον &c. Turris ut tegat hastam hostium, optate.
Cho. An non igitur hæc à diis erunt? Et. at nunquid deos
Vrbis quæ capitur præsides deserere aiunt?

Λέγεται γὰρ &c. Fertur enim, cum iam inibi esset, ut Troia caperetur, apparuisse deos Troianis asportantes è templis simulacra sua.

CAP. XX.

Τρ. Τί φῂς; &c.
Nutrix. Quid ais? amore cuiusquam hominis o filia correpta es?
Phæd. Quicunque tandem ille est, Amazonis est filius.
Nu. Hippolytum dicis? Ph. ex te hæc, non ex me, audis.

E LIBRO SEXTO CAP. I.

MAGNA pars eorum, quæ in hoc capite Græce scripta sunt latinis uocibus exprimi non potest. itaque præstat non attingere. Totum etiam secundum caput consumitur in eo, ut ostendatur, nomen axiomatis quomodo latine reddi debeat. quomodo autem quisquam hæc latine se tractare posse confidat?

CAP. III.

μιμητέον ἡμῖν &c. Imitandi sunt nobis sapientiores medici, qui amariora pharmaca, cum prius oras poculi melle perunxerint, bibenda dant.

CAP. V.

πῶς ἔν &c. quomodo igitur non fuissem infelicissimus omnium hominum, si seruos meos, non seruos amplius habiturus eram, sed dominos in reliquum uitæ tempus, qui ta

Ee lis

lis facinoris mihi conſcii futuri eſſent? Itaque etiam ſi maxima in me peccata commiſiſſent, fieri non poterat, ut pœnas ab eis ſumerem. præclare enim ſciuiſſem, in ipſorum manu eſſe, ut me ulciſcerentur, & cum indicaſſent me, ipſi liberi fierent.

CAP. VII.

λέγεται δὲ &c. dicitur autem & uir mulierem habere, & mulier uirum.

ἔχω λαΐδα &c. habeo Laida, ſed non habeor.

Τὸν στρατιώτην &c. Militem, o Thai, Acharnanem, qui olim quidem Abrotonum habuit, poſt autem me amauit, uoſtin'?

ὁδοῦ πάρεργον, obiter.

ὁ μὲν ἡλικιώτης &c. Aequalis qui dem tuus Charmides, uicini Ariſtæneti filius, uxorem iam duxit, & temperanter uiuit. tu autem quouſque tandē cū meretrice uerſabere?

οὐδὲν γὰρ &c. nihil enim aliud ſignificamus, cum dicimus quempiam habere mulierem, quàm quòd cohabitat.

συνοικεῖν cohabitare.

περὶ τοῦ ἔχειν, de uerbo habendi.

καὶ συνῴκει &c. & cohabitabat omnium ho minum infeliciſſimus matri & filiæ.

Θεῶν κρίσει, in Iudicio dearum.

Δοκεῖτις &c. uidetur quædam ipſi cohabitare Idæa mulier.

Πρὸς τὸν αἰτιώμενον &c. ad accuſantem, quòd cohabitaret meretrici: ecquid, inquit, intereſſe cenſes, eam ne domum conducas, in qua multi, an in qua nullus habitauit?

συνοικεῖν, cohabitare. συνεῖναι, coire.

CAP. VIII.

ὁμὲν δὲ &c. Habebimus autem perfecte methodum, cum ſimiliter habuerimus, ut in rhetorica, & in arte medendi, & talibus facultatibus. Id autem eſt, ex contingentibus facere quæ eligimus.

Τοῦτο δέ ἐστι &c. id autem eſt, &c.

ἀμήχανον ὅσον, nimium quantum.

ἔστι δὲ ἀριθμῷ &c. ſunt autem numero æqualia & eadem ea ex quibus orationes, & ea de quibus ſyllogiſmi. nam orationes quidem fiunt ex propoſitionibus, de quibus uero ſyllogiſmi, problemata ſunt.

ἔστι δὲ ἀριθμῷ &c. ſunt autem numero æqualia & eadem ea ex quibus orationes, & ea de quibus. nam fiunt quidem ex propoſitionibus, de quibus autem, problemata ſunt.

λόγων, orationum.

ὁ δ' ἄδικος &c. Iniuſtus autem non ſemper eligit id quod plus eſt, ſed & quod minus, in ſimpliciter malis. at quoniam uidetur & minus malum, bonum quodammodo eſſe, boni autem eſt pluris cupiditas: ob id uidetur pluris auidus eſſe. eſt autem inæqualis. hoc enim continet, & cōmune. & legum tranſgreſſor. hoc enim, legum tranſgreſſio, ſiue inæqualitas continet omnem iniuſtitiam, & commune eſt omnis iniuſtitiæ.

ἔστι δ' ἄνισος &c. eſt autem inæqualis, & legum tranſgreſſor. hoc enim continet, & commune eſt.

πᾶσαν ἀδικίαν &c. omnem iniuſtitiam, & omnis iniuſtitiæ.

περιέχει καὶ κοινόν ἐστι, continet & commune eſt.

πρὸς πᾶσαν ἀδικίαν ad omnem iniuſtitiam.

πρὸς τὸ πλέον καὶ πρὸς τὸ ἔλαττον, ad plus, & ad minus.

CAP. X.

γεροντικόν ἐστι, ſenile eſt.

μνημονικὰ ἁμαρτήματα, memoriæ peccata.

CAP. XI.

Ζῆνος γὰρ &c. Iouis enim cum ſit, uiuere ipſam immortalem oportet.

Et Caſtori & Polluci in cæli conuexis
Socia erit, nauigantibus ſalutaris.

CAP. XII.

οἶνος &c. Vinum, ſi multum potetur, malum. ſin quis ipſum
Potet ſcienter, non malum, ſed bonum.

ὡς οἶνος &c. Vt uinum mortalibus, à diis donum eſt optimū,
Si bibatur moderate. immoderatum autem peius.

CAP. XIII.

Αλλοι δ' &c. Alii autem è Terra & è Cælo nati ſunt
Tres pueri magni, & terribiles, non nominandi,
Cottusq́; Briareusq́; Gygesq́; ſuperba proles.

Quorum centum quidem manus ab humeris exilie bant
Informes. capita autem unicuique quinquaginta
Ex humeris nascebantur.

E LIBRO SEPTIMO CAP. I.

Ἀναμιμνήσθητε δὲ &c. Recordamini autem etiam maiorum, quàm boni, quamq; temperantes fuerint. qui quidem ex urbe eiecerunt Cimonem, ob legum contemptum: propterea quòd cum sorore sua rem habebat. etsi non modo ipse Olympia uicerat, sed & pater ipsius Miltiades. uerumtamen nullo in numero ponebant uictorias. non enim è certaminibus, sed ex institutis ipsum iudicabant.

CAP. II.

Καίτοι &c. et uero non sane quisquam ad nuptas mulieres comessatum ire audeat. neque nuptæ mulieres eunt cum uiris ad conuiuia. neque æquum censent conuiuari cum alienis, presertim cum quibuslibet.

CAP. IIII.

Ἡμαρτηκόσι etc. eis, cum peccarunt, Veneris ministri sunt.
ὀρθὰν τὰν ναῦν rectam nauem.
Θάνοιμ' ἄν &c. Moriar, si me omnes optant mori.

CAP. VII.

Ἔστι δὲ &c. Est autem & ex corporis bonis, & fortunæ. nam qui morbis non careat, neque sit robustus, non erit perturbationum expers, neque molestiarum, & longæuus, neque fortunatus permanserit.
μὴ ἄνοσος &c. nam qui morbis non careat, neque sit robustus, non erit perturbationum expers. neque sine fortuna potest quisquam aut expers molestiarum, aut longæuus esse.
εὐγηρίαν, bonam & commodam senectutem.
ἀπαθὴς, perturbationum expers.
ἄνευ τύχης &c. sine fortuna neque molestiarum expertem, neque longæuum manere, possibile esse.
Οὐδ' ὁ χορὸς &c. Neque chorus Phœbum ad unum modo diem canet.

Est enim laudatu facilis. per montes Phœbum canit.
Ἔστι γὰρ &c. Est enim laudatu facilis. quis non facile Phœbum canat?

CAP. VIII.

Διὸ δεῖ &c. Quocirca latenter id facere oportet. neque uideri exquisite dicere, sed naturaliter. hoc enim aptum est ad persuadendum: illud contra. nam at aduersus insidiantem calumniantur.
διαβάλλονται, calumniantur. διευλαβοῦνται, cauent sibi.
ἐν δὲ τοῖς ψιλοῖς λόγοις &c. in simplicibus autem sermonibus multo pancioribus.
ἐν δὲ τοῖς &c. in simplicibus autem sermonibus multo pauciora sunt.
ἀκολουθία, consecutio.
Quæ nono & decimo capitibus reperiuntur, ea quomodo apte latino sermone exprimi possint, aut uero quomodo ab hominibus Græcarum litterarum ignaris percipi, non sane uideo.

CAP. XII.

Κατ' ἐκεῖνο &c. iuxta illud Euripidis, Mutatio omnium dulcis.
παθητικῶς, passiue. παντολέτορες, omnium corruptores.
ἔχεις γὰρ ἃ ἐγὼ δα, habes enim, quæ ego scio.
ἔχεις γὰρ ἃ εἶχον οἱ νέοι. habes enim, quæ noui habuerunt.

CAP. XIIII.

ἐν αἰνιγμοῖσι, in ænigmatis.
τὰ δ' ἐν &c. Hæc non in ænigmatis significant mala.
Perspicue enim loquuntur, socios periisse.

CAP. XV.

παροιμιῶν prouerbiorum.
Ἡρακλεῖ μαινομένῳ in Hercule furente.
ἐμὲ νεότας &c. Iuuentus mihi cara est.
Senectus autem pondus semper.
Grauius Aetnæ scopulis
Supra caput situm est.

CAP. XVI.

κἀγὼ &c. et ego uobis tentabo demonstrare, quid tandem sit id, quod mihi & famam, & calumniam confecit.

Est

Cap.

CAP. XVIII.

σκιὰς αἴσσειν, umbras uolare.

ἡσιόδειον, Heſiodium.

ψευδησιόδειον, falſò tributum Heſiodo.

Μηδὲ &c. Ne ſententiam feras, priuſquàm utriuſque oration̄em audiueris.

περὶ αἱρέσεων, de ſectis.

CAP. XIX.

ἠγησάμην &c. Cogitaui, Euagoran, ſi quis eſt ſenſus mortuis, eorum quæ hic fiunt, libenter quidem & hæc accipere, & gaudere uidentem & diligentiam tuam in iis, quæ ad ipſum pertinent, & magnificentiam tuam: multo autem maiorem gratiam habiturum, quàm aliis omnibus.

CAP. XX.

φιλῶ λέγειν &c. amo dicere Verum ſemper: neque uir duplex natura ſum.

CAP. RXI.

Ὡμοίως δὲ &c. Similiter autem & in iis, quæ dicuntur de philoſophia definitum eſt.

περὶ φιλοσοφίας etc. de philoſophia nunc dicit, ea quæ de bono ab ipſo ſcripta ſunt, ex Platonis conſuetudine. in quibus narrat et Pythagoreas, et Platonicas de iis quæ ſunt, opiniones.

CAP. XXII.

Πράξεις δὲ &c. Actiones autem quales tribuere oportet ipſis? an iuſtas? an ridiculi uidebuntur, contrahentes, & depoſita reddentes, & quæcunque alia talia ſunt? at fortes? ſuſtinentes terribilia, & periclitantes, eo quòd pulchrum eſt? an liberales? cui autem dabunt? abſurdum autem an ipſis quoque eſſe dicemus nummum, aut aliquid tale? ſin autem temperantes, quidnam erunt? an inepta eſt laus? neque enim habent prauas cupiditates. percurrentibus autem omnia, uidebuntur ea quæ ad actiones pertinent, parua, & indigna diis.

τὰς θεωρητικὰς τῶν ἀρετῶν, contemplatiuas uirtutes.

ταῖς πρακτικαῖς, actiuis.

παραδειγματικὰς &c. exemplares & cauſſales.

CAP.

CAP. XXIII.

Ἐγὼ δ' &c. Ego uero, quod ueſtrum quiſque iniuria affectus, ſibi faciendum eſſe duxiſſet, id etiam ipſe feci.

οὕτως &c. Hæc conuerſa iam ſunt à Mureto.

E LIBRO OCTAVO. CAP. I.

σοφὸς δ' &c. Sapiens autem is, qui multa nouit natura.

qui autem didicerunt, inſanientes
clamoribus, tanquam corui,
imperfecta ſonant,
Iouis aduerſus auem diuinam.

σοὶ δ' μενείᾳ &c. libenter accipe coronam hanc.

Σοὶ τόνδε πλεκτὸν &c. non tantum ipſe inſanire mihi uiderer, ſi hos uerſus poſt Muretum conuerterem, ſed ipſum, ſi reuiuiſceret, Euripidem dubitaturum puto, Latinos mallet, an ſuos.

CAP. II.

Διὸ τῷ λόγῳ &c. Quocirca oratione oportet præcaſtigare. indignantur enim minus ſic caſtigati etiam ſerui.

CAP. V.

Ἡ δ' εἰς δίφρον &c.

Illa uero in currum inſiliit iuxta Diomedem diuinum
Concita dea. magnum autem inſonuit faginus axis
Præ pondere. grauem enim agebat deam, & uirum fortiſsimum.

CAP. VII.

πᾶσαι γὰρ &c. omnes enim artes, tum factiuæ, tum etiam ſcientiæ, facultates ſunt.

ἡ γὰρ αὐτὴ &c. eadem enim poteſtas contrariorum, contraria.

ὑποκειμένῳ, ſubiecto.

κατὰ συμβεβηκὸς, per accidens.

ἀφιλόσοφα, aliena à philoſophia.

CAP. VIII.

δυνατὸν, poſsibile. δυνατοῦ, poſsibilis.

κμὶ

καὶ κατὰ τὰς ἄλλας &c. & secundum alias temporis differentias. καὶ ἀντιδιαιρεῖται τῷ ἐξ ἀνάγκης, & è regione opponitur ei quod necessario fit.

τῶν δυνατῶν, possibilium.

τὰ ἐναντία etc. contraria pro quomodocunque oppositis.

τὸ τοῦ δυνατοῦ ὄνομα, possibilis nomen.

πᾶν τὸ δυνατὸν etc. quicquid possibile est, esse, possibile est et non esse.

ἐν τῷ περὶ ἑρμηνείας, in libro de interpretatione.

CAP. X.

ἀλλ' ὃ προὐλέγομεν etc. at non prædicebant, non præsignificabant nobis dei, ut caueremus, tantum non assumptis hominum uocibus.

ὁρᾶτε τοῖς ὀφθαλμοῖς etc. Videtis oculis, detestabilem et execrandum portum mœnibus cinctum.

Γένεσθε δή μοι etc. Estote mihi ad breue tempus, cogitatione, non in iudicio, sed in theatro: ac putate, uos uidere prodeuntem præconem.

Αλλ' ἐπειδὴ etc. Sed, quandoquidem corporibus non affuistis, cogitationibus saltem aspicite ipsorum calamitates. ac ponite uobis ante oculos captam ciuitatem, murorum euersiones, domorum incensiones, abductas mulieres, et pueros in seruitutem, senio confectos homines, uetulas mulieres sero dediscentes libertatem, lugentes, supplicantes uobis, irascentes, non iis qui pœnas reposcunt, sed iis qui horum in caussa sunt.

ἤδη γάρ ποτε etc. Iã enim aliquando uidi odio habitos eos, qui aliena flagitia nimis aperte dicerent.

Οκνῶ, μὴ περὶ σοῦ etc. uereor, ne de te dicens ea, quæ te decent, ipse non decoros ipsi mihi uidear elegisse sermones.

πολλά γοῦν etc. Cum igitur alia mihi multa, quæ de ipso dicam, suppetant, prætermittam. non enim quæcunque turpia et inhonesta inesse in ipso possum ostendere, ea mihi libenter dicenda omnia esse arbitror: sed quæcunque mihi dicere turpe non est.

CAP. XIIII.

τοῦ μὲν οὖν etc. Vt igitur iis qui dicunt, fides habeatur, tres sunt caussæ. tot enim sunt ea, propter quæ credimus, præter probationes. sunt autem hæc, prudentia, uirtus, & beneuolentia. Mentiuntur enim de iis, de quibus dicunt, aut consulunt, uel propter omnia hæc, uel propter eorum quippiam. aut enim per imprudentiam non recte opinantur, aut recte opinantes, propter improbitatem non dicunt ea, quæ uidentur: aut prudentes quidem & boni sunt, sed non beneuoli. quocirca contingit, ut non dent optima consilia, cum tamen cognoscant, quid sit optimum factu. & præter hæc, nihil.

πολύσημον, quod multa significat.

CAP. XVII.

Μισεῖν τὸ σεμνὸν &c. Odisse superbum ingenium, & non omnibus amicum.

Οἴμοι &c. Hei mihi, superbia ut me conficiet tua.

Οντας δὲ &c. Mortales autem cum simus, mortalia etiam sapere oportet.

Nam superbis quidẽ, & iis qui contracto sunt supercilio
Omnibus est, me quidem iudice,
Vita reuera non uita, sed calamitas.

παρεωρακέναι parum acute uidisse.

CAP. XVIII.

Καί σοι ἐγὼ &c. Et tibi ego, ut nouem archontes solent, polliceor, me consecraturum Delphis statuam eiusdem mensuræ non meam modo, sed & tuam.

CAP. XIX.

περὶ στεφάνου de corona.

Καί τοι καὶ τοῦτο &c. Quamuis hoc quoque, o uiri Athenienses, ego maledictionem ab accusatione hoc differre arbitror: quòd accusatio habet ea crimina, quibus supplicia legibus constituta sunt: maledictio autem contumelias, quas sibi inuicem inimici temere dicunt, secundum suam quisque naturam.

CAP. XX.

ἐν τῷ κατὰ Τιμάρχου, in oratione aduersus Timarchum.

οὕτως ἰσχυρὸν &c. ita fortis est ueritas, ut omnes hominum calliditates superet.

διὰ χρόνου, interiecto tempore.
ἀφιλότιμον εἶναι, gloriæ amore non tangi.
λεπτολογεῖν, minute ac subtiliter singula persequi.

CAP. XXI.

εἰ γὰρ ἐθέλοι τις &c. nam si uelit quis cum Lacedæmoniorum abiectissimo congredi: plærunque quidem in sermonibus inueniet ipsum talem, ut haud magni precii esse uideatur. deinde alicubi inter colloquēdum iniicit uerbum aliquod memorabile, breue, & contortum, tanquam peritus iaculator: ita ut is, quicum ipse loquitur, nihilo melior puero appareat.

CAP. XXV.

τῶν ἐσφαλμένων, ἢ τῶν κατωρθωμένων, erratorum, quàm eorum in quibus haud aberraui ab eo, quod mihi proposueram.

FINIS.

INDEX EORVM, QVAE SINGVLIS LIBRIS PER CAPITA TRACTANTVR.

TRES Isocrates. Cuius sit παραίνεσις ad Demonicum, indicatum. Cap. I. car. 1.
Mithridatem cur Dionysum Tralliani honoris caussa uocarent. Illustratus locus ex oratione pro Flacco. Eius qui Plutarchi συμποσιακὰ interpretatus est, notatus error. Cap. II. 1:
Locus quidam Ciceronis in Verrem uindicatus à praua aliorum correctione. Plinii alter declaratus. Cap. III. 2.
Horatii locus ex Euripide expressus. Cap. IIII. 2:
Eiusdem Horatii locus ex Isocrate prope conuersus. Cap. V. 3.
Ciceronis locus ex oratione pro P. Quinctio pulchre à Paulo Manutio correctus. Cap. VI. 3:
Epitheton, quo Corinthum ornauit Horatius, è Græca uoce expressum uideri. Cap. VII. 4:
Horatii locus, qui multis in libris corrupte legitur, explicatus. Cap. VIII. 4:
Sententia quædam Terentiana ab Aeschylo etiam prolata ostenditur: &, qui eandem continet, Græcus incerti scriptoris uersiculus indicatur. Cap. IX. 5.
Equitandi uerbum quòd Euro tribuit Horatius, Euripidem quoque eodem modo locutum esse. Cap. X. 5:
Currum pro naui, ut à Catullo, sic & à Græcis poetis dictum esse. Cap. XI. 5:
Libidinosarum mulierum, quæ calumniatæ sunt eos, à quibus spretæ ac repudiatæ erant, exempla octo. Cap. XII. 6.
Falsam quandam historiam à Petro Victorio pro uera traditam esse. Cap. XIII. 6:
Aristotelem in Hippodamo reprehendendo parum bona fide uersatum esse. Cap. XIIII. 7
Duræ compositionis duo insignia exempla: ex Euripide unū, alterum è Sophocle. Cap. XV. 7:

Coniecturæ de aliquot locis è libello Demetrii περὶ ἑρμηνείας. Cap. XVI. 8.
De forium aperiendarum ratione apud ueteres Græcos. multis Plauti ac Terentii locis allata lux. Cap. XVII. 9.
Quod de fama Virgilius dixit, idem Callimachum de Cerere, Homerum de contentione dixisse. Cap. XVIII. 9:
Quid sibi uelit apud Ciceronem in epistolis ad Atticum pastoricia fistula, explicatum. Cap. XIX. 9:
Alius locus ex iisdem epistolis declaratus. Cap. XX. 10:

LIBER SECVNDVS.

CORRECTVS & explicatus locus è primo libro Aristotelis de arte dicendi. Cap. I. 11.
De Psyllis, & ophiogenesin. Allatus locus Varronis, cuius testimonio usus erat Plinius. Cap. II. 12.
Sententiam illam, Patria est, ubicunque bene est, acute à Lysia reprehensam. Cap. III. 12:
De ui uerbi alloquor. Horatii in odis explicatus locus. Cap. IIII. 13.
De Callisthene & Philisto. locus Ciceronis emendatus, & declaratus. Capitales interdum à ueteribus ingeniosos dictos esse. Cap. V. 13:
Pauperum cognationem à nemine libenter agnosci. Terentii loco allatus non dissimilis Menandri. Cap. VI. 14:
Ciceronis locus è Dinarcho expressus ostenditur. Cap. VII. 15.
Quod Victorinus de auctore libri de mundo ad Alexandrum credidit, uerum non uideri. Cap. VIII. 15.
Pisces paruulos à maioribus deuorari, multorum scriptorum testimoniis confirmatum. emendatus Varronis locus. Cap. IX. 16.
Iugurtham, cum in triumpho ductus esset, desipere ac delirare cœpisse. Plutarchi in Mario locus. Cap. X. 16:
Aristotelis locus, allatis Theognidis uersibus, qui eandem sententiam continent, illustratus. Cap. XI. 17.
Genus quoddam loquendi Horatianum indicatur è Græco fonte manasse. Cap. XII. 17:
Platonis locus conuersus à Cicerone in Hortensio, in quo Marsilius leuiter lapsus est. Cap. XIII. 18:
Ciceronis locus, quẽ Silius elegãter imitatus est. ca. XIIII. 19.
Quodnam sit uerbum illud Græcum, quo usos esse Athenienses in discordiis sedandis ait Cicero in Philipp. Cap. XV. 19:
Ciceronis ex oratione pro Deiotaro loci duo emendati. Cap. XVI. 20.
Illustratus locus ex oratione pro Cœlio. Cap. XVII. 21.
Cicero in oratione pro Sylla, locum quendam Demosthenis imitatus ostenditur. Cap. XVIII. 21.
Alius Ciceronis locus è Demosthene expressus. cap. XIX. 21:
Theocriti ἀδωνιαζούσας correctus & explicatus locus. ca. XX. 21

LIBER TERTIVS.

De quorundam admirabili memoria. cap. I. 23.
Sublata menda, quæ inhæserat in Euripideo uersu apud Porphyrium. Item de formæ dignitate quædam non indigna cognitu. cap. II. 24:
Locus Terentii è Phormione illustratus. cap. III. 25.
Duo genera loquendi, quibus latini poetæ utuntur, à Græcis accepta esse. cap. IIII. 25:
Aeris Corinthii temperatura quomodo inuenta. cap. V. 26.
Indicata uetus scriptura duum locorum è libro secundo de Diuinatione. cap. VI. 26.
Cur Tibullus porcũ hostiam mysticam dixerit. cap. XVII. 26:
C. Verres qua ex gente fuerit. emendatus locus è libro quarto accusationis. cap. VIII. 27.
Correctus Plauti locus è Milite glorioso. cap. IX. 28.
Quæ se facturos iurauerint Græci cum Xerxis copiis congressuri. cap. X. 28.
Locutio quædam, quæ Euripidis esse credebatur, reiecta: & ipsius poetæ emendatus locus. cap. XI. 28.
Atticum loquendi genus, quod imperiti ex Euripidis Hecuba sustulerant, restitutum. cap. XII. 29.
Antelogium quid. Plauti è Menæchmis correctus locus. cap. XIII. 29:

Historia

Historia de oraculo, quod Peleo redditum est. Xenophontis locus correctus. Cap. XIIII. 30.
Xenophontis alius locus correctus. Cap. XV. 30:
Particulam, ἐ, è quodam loco ex apologia Socratis apud Platonem, delendam uideri. Cap. XVI. 31:
Emendatus Plauti locus è Milite glorioso. Cap. XVII. 32.
Lentos debitores aliter à Cicerone, aliter à Lucilio dictos. Lucilii uersus apud Nonium emendati. cap. VVIII. 32.
Horatii uersus è quinto odarum illustrati. cap. XIX. 33.
Declaratus locus quidam è Ciceronis Hortesio. cap. XX. 33:

LIBER QVARTVS.

HISTORIA de Pindaro poeta, multato à suis, ornato ab Athenienſibus. Cap. I. 34:
Quod Aristoteles sensit, de iis qui seipsos interficerent, Euripidis testimonio confirmatum. Cap. II. 35.
Correctus Ciceronis locus è libro tertio de legibus. Cap. III. 35:
De ueteri prouerbio, quo dicebatur, quod pulchrum est, placere. Cap. IIII. 36.
De loco quodam Varronis aduersus Petri Victorii sententiam disputatum. Cap. V. 36:
Fragmentum Varronis è Marcipore, quo tempestas eleganter describitur. Cap. VI. 37.
Enniani uersus ex Euripide expressi. notata Nonii inconstantia. Cap. VII. 37.
Emendati Varronis loci duo. Cap. VIII. 37
Duo uersus Horatii conuersi è Simonide. Cap. IX. 38.
Sententiæ cuidam Ouidianæ allata similis ex Euripide. Cap. X. 38:
Quod Aristoteles in antiquis dicendi magistris reprehendit, idem Isocrates antea reprehendisse ostenditur. Cap. IX. 38.
Antiqui quoties die cibum sumpserint. Cap. XII. 39.
Terentianus uersus imitatus è Cæcilio. loci cuiusdam è quarta Tusculana uulgata scriptura aduersus Nonium defensa. item eiusdem grammatici alia quædam improbata. Correctus locus è libro quarto de finibus. Cap. XIII. 39:
Theriacam olim bibi solitam, uerum non uideri. emendatus Varronis locus. Cap. XIIII. 40:
Sententia quædam Horatii ab Arato prius prolata ostenditur. Cap. XV. 42.
De loco quodam è quarto Aeneidos aduersus Seruium. Cap. XV. 42.
Prouerbium quoddam ab illo scriptore, qui tam multa alia collegit, prætermissum. 42:
In bonorum comparatione dissensio inter Platonem & Aristotelem indicata. Cap. XVIII. 43.
De loco quodam ex oratione in Pisonem, aduersus Petrum Victorium. Cap. XIX. 43
Genus loquendi, quo telum manu fugisse dicitur, quomodo Græce exprimatur. Cap. XX. 44.

LIBER QVINTVS.

INSVLARVM fortunatarum descriptio, & situs. Cap. I. 45.
Tibulli uersus illustratus. Cap. II. 46.
Virgilii uersus, in quo Ciceronem imitatus uideri potest. Cap. III. 46:
Platonis in Hippia maiore emendatus locus. Cap. IIII. 46:
Emendatus locus è Ciceronis agrariis. Cap. V. 47.
Plautinæ Stichi principium emendatum, & distinctum. Cap. VI. 47:
Adonin Dianæ ira interfectum. Cap. VII. 48:
Confirmatæ duorum locorum Ciceronis emendationes à Petro Victorio factæ. Cap. VIII. 48:
Emendati loci aliquot è Mostellaria Plauti. Cap. IX. 49.
Giceronis locus conuersus è Chrysippo. Cap. X. 49:
Explicatus & emendatus locus è secundo epistolarum ad Atticum. Cap. XI. 50.
Virgilii uersus ex Aeschylo imitati. Cap. XII. 50:
Ennii hemistichium ex Euripide. Cap. XIII. 50:
Falsum argumentum allatum esse ab A. Gellio ad ostendendum,

dum, inter Platonem & Xenophontem aliquid simultatis interceſsisſe. Cap. XIIII. 51.
Secundam fortunam difficile ferri, multorum grauium ſcriptorum teſtimoniis confirmatum. Cap. XV. 51:
Ebrii nomen ad alia quædam à uino eleganter tralatum. Cap. XVI. 52.
Horatiana quædam genera loquendi è Græco expreſſa. Cap. XVII. 52.
Breuitatem & obſcuritatem aptam eſſe ad terrorem inferendum, aliquot exemplis confirmatum. Cap. XVIII. 52:
Locus Virgilii aliter, quàm à Seruio, & Macrobio expoſitus. Cap. XIX. 53.
Illuſtratus Platonis locus ex Alcibiade primo. Cap. XX. 53:

LIBRO SEXTO.

De prænotionibus, quibus ſcientiarum omnium principia debentur. explicatum & correctum principium poſteriorum analyticorum Ariſtotelis. Cap. I. 54:
Axiomata quomodo latine uocanda ſint. Cap. II. 56:
Comparatione quadam Lucretiana uſus etiam Themiſtius oſtenditur. Cap. III. 56:
Vt multas alias diphthongos, quæ nunc uſurpari deſierunt, ita oi pro œ, apud ueteres fuiſſe. emendatus Plauti locus. Cap. XIIII. 57.
Dominos, niſi cupiditatibus ſuis imperent, ne ſeruis quidem ſuis imperare poſſe. Cap. V. 57:
Homerum & Aeſchylum Athenienſes, Tyrtæum Lacedæmonii quo honore affecerint. Cap. VI. 58.
Illuſtratus locus ex Ariſtotelis categoriis. Cap. VII. 58.
Correcti loci duo è primo libro Topicorum. Item alius è quinto Ethicorum. Cap. VIII. 59.
Videri Plautum dixiſſe rem uoluptatum eodem plane modo, quo Græci dicerent τὸ χρῆμα τῶν ἡδονῶν. Cap. IX. 60.
De quodam Plautino loco, itemq; de loco quodam è Catone maiore Ciceronis diſputatum. Cap. X. 60:

Euripidem

Euripidem aliter, quàm ceteros omnes, de Helenæ ſidere locutum. cap. XI. 60:
Emendatus Plinii locus. cap. XII. 61.
Emendatus uerſus quidam Horatianus. cap. XIII. 61:
Correcti apud Ciceronem Ennii uerſus. cap. XIIII. 62.
Ecquid adhibenda ſint in conuiuiis acroamata, an minus. Cap. XV. 62.
Correctus locus è ſecundo de Diuinatione. Cap. XVI. 63.
Semiramis quo aſtu ad regnum peruenerit. Cap. XVII. 63.
Vt honorem latinis, ita Græcis ὄνειδος & κλέος ambigua uocabula eſſe. Cap. XVIII. 63:
Correctus locus ex oratione Ciceronis pro domo ſua. Cap. XIX. 64.
Correctus locus è ſecundo de finibus. Cap. XX. 64:

LIBER SEPTIMVS.

Sorores uxores ducere, num apud Athenienſes licuerit. Cap. I. 65.
De conſuetudine Græcorum non adhibendi honeſtas mulieres ad conuiuia uirorum. Illuſtratus locus ex Eunucho Terentii: itemq; locus Ciceronis è libro primo in Verrem. Cap. II. 65:
Euripidis locus in Medea correctus & declaratus. Cap. III. 66.
Quid interſit inter imperium patris & domini. Emendati Afranii uerſus apud Gellium. Cap. IIII. 67.
Emendatus Varronis locus, qui citatur à Nonio. Cap. V. 68.
Ad igne ad uitam crebro tralatas eſſe multas ab antiquis ſcriptoribus uoces. Cap. VI. 68.
Correctus locus è primo Rhetoricorum Ariſtotelis. item locus Callimachi ex hymno in Apollinem. Cap. VII. 68:

Conatus emendandi duos locos è tertio libro Aristotelis de arte dicendi. Cap. VIII. 73.
Illustratus locus è primo Topicorum Aristotelis. Cap IX.. 73:
Correctus & illustratus locus è secundo Topicorum. Cap. X. 74.
Emendati loci aliquot è libello Q. Ciceronis de petitione consulatus. Cap. XI. 75:
Ex eodem libello emendati aliquot loci. Cap. XII. 76.
Ex eodem libello emendati aliquot loci. Cap. XIII. 77.
Quod apud Ciceronem in epistolis ad Atticum legitur, ἐν αἰνιγμοῖς, unde sumptum sit. Cap. XIIII. 77:
Prouerbium quoddam, quo Cicero de senectute usus est, ex Euripide sumptum esse. Cap. XV. 77:
Vt Cicero dixit, conficere famam, ita Græce dici ποιεῖν ὄνομα. Cap. XVI. 78:
Quod Theopompus de Lacedæmoniis dixit, idem de fortuna quoque merito dici posse. Cap. XVII. 78.
Ciceronis è Lucullo correctus & declaratus locus. Cap. XVIII. 79.
Ciceronis locus ex Isocrate, ut uidetur, imitatus. Cap. XIX. 79:
De quodam loco è secundo de finibus neque Manutii, neque Victorii sententiam ueram uideri. Cap. XX. 80.
Qui fuerint Aristotelis libri de philosophia, quodq; illorum argumentum. illustratus locus è primo libro Ciceronis de natura deorum. Cap. XXI. 81:
Ciceronis è tertio de natura deorum locus ex Aristotele expressus. Cap. XXII. 82.
Locus è Miloniana cum duobus, Demosthenis uno, altero Lysiæ comparatus. Cap. XXIII. 82:
Illustrati Virgiliani uersus è quarto Aeneidos. Cap. XXIIII. 83.

POETARVM & apum comparatio. illustratus Horatii uersus, Necte meo Lamiæ coronam. Cap. I. 84.
De quodam loco è libro secundo Rhetoricorum Aristotelis, aduersus Petri Victorii sententiam. Cap. II. 85:
Collatio loci cuiusdam è Phædro Platonis cum eiusdem loci interpretatione Ciceroniana. Cap. III. 86.
Correctus & explicatus locus Platonis ex apologia Socratis. Cap. IIII. 87:
Virgilii uersus è sexto Aeneidos ex Homero imitati. Cap. V. 88:
Notatum Petri Victorii μνημονικὸν ἁμάρτημα. Cap. VI. 89.
De facultate contrariorum. emendatus & declaratus locus è secundo Aristotelis de arte dicendi. Cap. VII. 89:
Alius locus ex eodem libro explicatus. Cap. VIII. 90:
Correctus Ciceronis locus ex oratione pro C. Rabirio perduellionis reo. Cap. IX. 90:
Ciceronis loci duo ex Aeschyne, ut uidetur, imitati. Cap. X. 91.
E declamatione in Salustium loci aliquot, qui ex Aeschine expressi uidentur. Cap. XI. 91:
Inficetum, non, ut uulgo, Infacetum scribi oportere: & ex eadem coniugatione cetera ad eundem modum. Cap. XII. 92:
Correctus & illustratus Aristotelis locus è libro quinto Ethicorum. Cap. XIII. 92:
Verbum διαλλάττεσθαι, quodam loco è secundo Rhetoricorum Aristotelis non uideri ita accipiendum, ut Victorius censuit. Cap. IIII. 93.
Quid apud Catullum, asini nomine intelligendum esse uideatur. Cap. XV. 93:
Male conuersos uideri à Cicerone tres Euripidis uersus. Cap. XVI. 94.
De quodam loco ex epistolis ad C. Trebatium accurate disputatum. cap. XVII. 94:

Locus Platonis è Phædro, allata uetere quadam Athenien
sium consuetudine illustratus. Cap. XVIII. 95:
Quod discrimen sit accusationis & maledictionis, ex De-
mosthene, & Cicerone. cap. XIX. 96.
De iii ueritatis. Ciceronis sententia ex Aeschine. Liuii lo
ci duo emendati. cap. XX. 96:
Mulieres eruditas plærunque libidinosas esse, duorum poe
tarum testimoniis confirmatum. Iuuenalis locus cum
quodam Platonis collatus. cap. XXI. 97.
Iphicratis multa dicta, quibus elatus & excelsus ipsius ani
mus ostenditur. cap. XXII. 97:
Medicum fuisse Herculem, & sanatam ab eo Alcestin, quũ
iam deposita esset. cap. XXIII. 98.
De immani crudelitate regis Deiotari. cap. XXIIII. 98:
De lege quadam Persarum humanitatis plena.
cap. XXV. 98:

FINIS.

Alia quædam errata librariorum, præter ea, quæ ad ipsum octaui libri finem indicata iam sunt.

	Delenda.	Reponenda.
pag. 1: uer. 19.	*Dionysium,*	*Dionysum,*
7: 34.	*consimilia in*	*consimilia: in*
16. 31.	δεινοῖ	δεινοῖο
18. 29.	λεγνέω	λεγέω
29. 20.	δρᾶσον	δράσεις
ead. 21.	δράσεις	δρᾶσον
32: 29.	*huius*	*huiu'*
43: 20.	*repudia.*	*repudiat.*
50. 10.	αἴννη	πίννη
59. 4.	ἥὸς	ἰὸς
59: 19	ἤτοι ἤ	ἤτοι ἤ
61: 6	*uersur*	*uersus*
ead. 16	*serpentipedesq́;*	*serpentipedesq́;*
90. 27	*altrum*	*alterum*
99. 13	ἐσφαλμένων ς,	*dele illud ς*